



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XIV. De consanguinitate, & affinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

184 In Librum IV. Decretalium,
 Titulus XIV. De consanguinitate, & affinitate.

TITULUS XIV.

De consanguinitate, & affinitate.

CAPUT I.

Alexander III. (a) *Cassinensi Abbati.*

EX litteris tuis ad nos directis accepimus, quod cum quidam secretò indu-
 tam mulierem subarrhasset, & cognoscens carnaliter cohabitasset cum ea
 per annum, (b) Mundualdus virum mulieris traxit in causam, proponens
 quod illam in potestate sua positam, quasi fornicariam cognovisset. Tunc
 vir & mulier juramento firmarunt, quod ab initio alter in alterius copulam mari-
 talem consenserunt, & de cetero sicut vir, & mulier in simul cohabitarunt. Cum
 autem nec juramento mulieris fidem procurator habuerit, exegit eam publicè sub-
 arrhari. Quod cum vir facere paratus esset in conspectu Ecclesiæ, surrexerunt duo
 proponentes præfatæ mulieris conjuges in quinto gradu consanguinitatis, & primo
 genere affinitatis sese contingere: quia pater illius, qui eam subarrhare volebat, prio-
 rem virum in quarto gradu consanguinitatis attigerit. Unus autem ita se vidisse
 juravit, alius autem noluit id juramento firmare, & ob hoc licet ille præfatam mu-
 lierem subarrhare distulerit, minimè tamen ab ejus cohabitatione discessit. Pro-
 cessu verò temporis ad instantiam Mundualti præfatus publicè matrimonium cele-
 bravit, & postmodum ferè cum uxore per annum permansit. Nunc autem quæ-
 stio prima revixit, & jurarunt duo coram Archipresbytero (c) plebario, ut dicis,
 quod primus vir fuit in quinto gradu consanguinitatis patri præsentis viri. Unde
 quia diversi diversa sentiunt, quid agendum sit in hoc casu, nostris litteris quæ-
 ris edoceri. Quocirca d. t. p. A. s. p. m. quat. utramque partem ante tuam præsen-
 tiam convoces, & faciens testes coram te jurare, adhuc inquiras, à quibus, & quan-
 do didicerint quod testantur. Si verò post motam quæstionem didicerint, non est
 jam dictum matrimonium dissolvendum: similiter nec si ab accusatoribus matri-
 monii didicerint. Inquisitâ verò veritate diligenter, si per testes circumspectos, &
 omni exceptione majores inveneris, quod primus vir patrem superstitis in quinto,
 vel sexto gradu consanguinitatis attigerit, non differas sententiam divortii promul-
 gare. Equè enim, ut canones dicunt, abstinendum est à (d) consanguineis uxo-
 ris, ut à propriis, usque ad septimum gradum. Cæterum prudentiam tuam volumus
 non latere, quod personæ idoneæ nominandæ sint, & gradus distinguendi, & ab
 utroque latere computandi: nec sunt causæ matrimonii tractandæ per quoslibet, sed
 per (e) iudices discretos, qui potestatem habeant judicandi, & statuta canonum su-
 per his nequaquam ignorent.

NOTÆ.

I.
 De Cassi-
 nensi Mo-
 nasterio.

(a) *Cassinensi.* Ita etiam legitur in prima col-
 lectione, sub hoc titulo, cap. 2. & post Con-
 cil. Lateran. p. 6. cap. 32. Monasterium hoc Cassi-
 nense, præcipuum Ordinis D. Benedicti, ita di-
 ctum est à monte Cassino, in Provincia Campa-
 niæ, Regni Neapolitani, quod jussu Domini no-
 stri construxit idem Sanctus, cujus magnitudi-
 nem, originem, & progressum latè describit Ye-
 pes tom. I. chron. D. Benedicti, & post eum Coro-
 nel. in notis ad Gongoram, tom. 3. fol. 429. Monaste-
 rium hoc Cathedrâ Episcopali præfulgebat tem-

poribus Alexandri III. usque ad tempora Urba-
 ni V. ut refert ipse Yepes: unde Rofredus Epi-
 scopus simul, & Abbas, quem postea Clem. III.
 creavit Cardinalem tituli Sancti Marcellini, con-
 sultuit ipsum Alex. de valore cujusdam matrimo-
 nii; casus autem ita contigit: Cum Petrus Mari-
 am clandestinè desponsasset, subarrhassetque, tu-
 tor ipsius mulieris Petrum urgebat, ut ipsam pu-
 blicè in uxorem duceret in conspectu Ecclesiæ:
 & cum ipse paratus esset eam publicè in uxorem
 accipere, duo testes asseruerunt, ipsum Petrum
 cognatum fuisse in quinto gradu prioris viri
 ipsius Mariæ; & ita eodem affinitatis gradu
 ipsam

ipsam attingere; sed cum illi testes non essent idonei, quia unus de auditu tantum deponere, alius testimonium suum iurejurando firmare renuebat, matrimonium publicè celebratum fuit; sed cum postea adfuerint alii duo testes idonei, & omni exceptione majores, qui sub juramento deposuerunt ipsum maritum quarto-consanguinitatis gradu priorem virum ipsius mulieris attigisse, & ita in eodem affinitatis gradu cum uxore esse, consultus Alex. III. decrevit, simile matrimonium, etsi publicè celebratum, esse dissolvendum ob prædictum affinitatis gradum.

2. *Mundual-*
du quis?
(b) *Mundualdu.* Idem tutor, à mundio, quod est tutio, ut in legibus Longobard. lib. 1. tit. 30. l. 11. & lib. 2. tit. 33. l. 3. & aliis congestis à Lindembrogio in *Glossario legum antiq. verbo Mundualdu.* Flodoardus *Hist. Rhem.* lib. 2. c. 19. *Non dubito tua id notum esse charitati, quanta nobis Ecclesiastica disciplina, quantisque nostrorum necessitatibus subditorum, & insuper mundualium oppressio- nibus, quibus quotidie agitantur, cura constringat.* Burchardus lib. 19. *Decreti, ex Pœnitentiæ Romano: Rapuisti uxorem tuam, & vi, sine voluntate mulieris, vel parentum, in quorum mundiburdio tenebatur, illam abduxisti.* Et apud alios relatos à Vossio lib. 2. *de vitii sermon. cap. 12.* Ut enim apud Romanos mulieres etiam in perpetua tutela, dum matrimonium contraherent, Ulpianus in *fragm. tit. 51. §. final. & tit. 20. §. femina,* cuius tutelæ vestigia extant in l. 2. §. *is qui capite, vers. interdum, ff. de capite minur. l. qui habebat 47. ff. de vulgari, l. 11. ff. de legat. 3.* ita etiam apud Longobardos, ut constat ex variis eorum legibus congestis à Lindembrogio *ubi supra, verbo Mundium.* Unde juxta morem ipsius provincie, ubi præsens casus contigit, refertur ipsam mulierem sub mundualdo fuisse.

(c) *Plebario.* Plebano, legitur in Concilio; sed legendum est *Plumbarole*, quod est Castrum in Regno Neapolitano subjectum Cœnobio Casinensi, ut notavit Cujacius in *presenti.*

(d) *Consanguineis uxoris.* Legendum esse, *Consanguineis mariti*, ut congruant hæc verba decisione, docuit Cujac. in *presenti.*

(e) *Judices discretos.* Per Episcopos videlicet, ut ordinarios; per alios verò Prælatos virtute delegationis, ut probavi in c. 1. *ut licet non contest.* facit caput *litteras, de rest. spol. & Synodus Londin.* habita anno 1237. apud Matth. Paris. in *Henric. III.* Propterea duximus statuendum, quod matrimoniales cause, que inter ceteras maturitate magna & diligentia sunt tractande, viris providis, & fide dignis, & habentibus juris peritiam, vel saltem competens exercitium, committantur.

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio*
traditur,
& proba-
tur.
EX hoc textu sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Separatur matrimonium inter affines contractum, etiam usque ad sextum gradum.* Probant eam textus in c. *si qua mulier 35. q. 1. c. nullum 35. q. 2. cap. & hoc quoque 35. q. 3. Concil. Agathense can. 61. Epauan. can. 30. Tolet. 2. can. 5. Aurel. 1. can. 20. Aurel. 2. can. 10. Aruern. can. 11. Turon. 2. can. 21. Matiscon. 2. can. 18. Altissiod. can. 27. 28. 29. & 30. Cabilon. 2. can. 29. Moguntinum sub Leone III. & Carol. can. 54. & 56. Gregorius I. lib. 12. epist. 31. Gregorius II. epist. 14. Zacharias epist. 1. colum. 2. Gregor. VII. lib. 7. epist. 9. & lib. 8. epist. 3. Trident. sess. 24. de reform. matrim. can. 9. quorum jurium, & aliorum verba referunt Ant. August. in *epit. juris Pontificii, lib. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. IV.**

29. tit. 13. Jodocus Coccius *rom. 2. thes. fidei Carbol. lib. 9. art. 5.* Illustrant ultra congestos à Barb. in *presenti, Cujacius, & Canisius hic, Grotius lib. 2. de jure belli, c. 5. n. 13. Scortia in select. epit. 94. theore- rem, 231. Junius rom. 1. polit. q. 37. Petrus Greg. lib. 9. synagm. c. 11. & lib. 3. partit. tit. 21. c. 5. & in c. 2. n. 50. de spons. Gentil. lib. 5. de nuptiis, c. 6. Bobadilla lib. 1. polit. c. 9. Hothomanus lib. 4. illustr. c. 35. Mancinus lib. 1. de triplici juris collat. c. 111. Costanus de sponsals. fol. 110. Cujacius ad titul. C. de incestis nupt. Forner. lib. 3. select. c. 26. Roussel. lib. 1. histor. jur. Pontif. c. 15. n. 12. Vighel. in method. jur. can. fol. 459. Vinius lib. 2. select. c. 13. Didacus Perez in l. 2. tit. 19. lib. 5. ordin. Perez de matrim. disp. 31. per totam, Basiliius eod. tract. lib. 7. cap. 33.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione, quam deducam ex fundamentis, quibus moti Brentius, Lutherus & Kemnitius, asseruerunt matrimonium injustè ab Ecclesia inter affines, & consanguineos prohiberi. Primò ait Brentius in *comment. ad c. 28. Lev.* Romanus Pontifex non est supra Christum, cum ejus tantum vicarius sit: sed Christus Dominus non venit leges politicas constituere, sed verbum Dei annunciare: ergo nec Romanus Pontifex debet, aut potest ejusmodi leges ferre; & per consequens matrimonium inter certas personas prohibere. Secundò ajunt Luth. in *Babyl. c. de matr. & Bucerus in c. 19. Matthai.* Deus melius novit quæ sint personæ aptæ ad matrimonium, & quousque se extendant gradus cognationis, quam ullus homo: at ipse non prohibuit conjugia nisi usque ad secundum gradum in linea æquali: ergo temerè prohibentur ab hominibus conjugia in gradibus ulterioribus. Deinde Beza in *lib. de repud.* Kemnitius 2. p. exam. expendant Concil. Turon. 2. can. 22. in illis verbis: *De incestis conjunctionibus censuimus, statuta canonum vetera non irrumpi, & c. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat. Turpitudinem patris tui, matris tue, uxoris patris tui, sororis tue, sive ex patre, sive ex matre, qua domi vel foris genita est; filia filii tui, vel nepus ex filia; filia uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, sororis patris tui, sororis matris tue, patrui tui, & uxoris ejus, nurus tue, uxoris fratris tui, sororis tue, & filia ejus; filia ejus, vel filii sororis uxoris tue non revelabis: cum uxore proximi tui non coibis. Et Parisiense c. 4. ibi: Nullus illicita conjugia contra præceptum Domini sortiri præsumat, id est, fratris relictam, novercam, relictam patrui, vel sororem uxoris sua sibi audeat sociare, neq. avunculi quoque, qua relicta est, neq. nurus sue, vel matertera conjugio potiatur: pari etiam conditione conjugio amita, privigna, ac filia privigna conjunctionibus præcipimus abstinere.* In quibus non prohibetur conjugium inter affines, nisi usque ad secundum gradum: ergo non usq; ad septimum, ut in præfenti docetur. Accedit, nam apud Romanos, qui semper in nuptiis honestatem præferrebant, l. *semper, ff. de ritu nupt. l. semper, ff. de reg. jur.* nuptiæ non prohibebantur inter affines lineæ transversalis, ut probant Grot. lib. 2. *de jure belli c. 10. Vinius lib. 2. select. c. 13.* ergo non repugnat honestati nuptiarum matrimonium contrahi inter affines.

Quæ dubitandi ratione non obstante, vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, affinitatem, si ejus etymologiam attendamus, esse quasi duorum ad unum finem unitatem, eo quod duæ cognationes diversæ per nuptias copulentur, & alter ad alterius cognationis finem

4.
impugna-
tur tradita
assertio.

5.
Affinitatis
etymon, &
diffinitio.

accedat; cum enim per copulam vir & femina efficiantur una caro, sanguis unius dicitur alterius sanguinem tangere, & ob id consanguinei unius conjugis sunt alteri conjugii affines. *c. fraternitatis 35. q. 10. l. non facile, §. 3. ff. de gradibus: ex Cicerone, & Terentio illustrat Gentilis lib. 5. de nuptiis, c. 12. Beyerlinch in theatro, verbo Affinitas.* Si autem rem ipsam exquiramus, affinitas secundum jus civile non male diffinitur, ut sit civile vinculum ex justis nuptiis procedens; ut docent Brissonius de v. s. verbo Affinis: nam jure civili non nisi ex justis nuptiis oriebatur, *l. 4. §. affinis, & §. sciendum, ff. de gradibus.* Ubi dum docetur, nec cognationem, nec affinitatem esse posse sine justis nuptiis, id referendum est ad cognationem, & affinitatem naturalem; nam naturalis cognatio, & affinitas etiam ex servili cognatione & conjunctione oriebatur, juxta textum sic accipiendum in *l. adoptivus 14. §. servilis, ff. de ritu nupt.* explicat A. Faber in jurispr. tit. 9. princ. 6. illat. 1. Nec prædicta diffinitio everitur ex *l. quod Servius 8. vers. donec, ff. de condit. caus. data,* ubi aperte dicitur, inter sponfos affinitatem contrahi. Nam respondendum est cum Glossa ibi, verbo Affinitas, Catreñi n. 6. Fabro in ratione ad ipsum textum, Meratium ibi improprie dixisse affinitatem inter sponfos manere pro publica honestate, ut etiam improprie divortium dari inter sponfos dixit, cum divortium proprie loquendo non detur nisi inter conjuges, *l. inter stuprum, §. divortium, ff. de u. s. Jure vero canonico attento affinitas ita definiti solet, ut sit proximitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela: ita Covarr. in 4. p. 2. c. 6. §. 7. D. Thom. in 4. dist. 4. q. unic. art. 1. quest. 3.* Dicitur generaliter ex copula, quia ad contrahendam affinitatem copula omnino necessaria est, nec interest an ea licita, vel illicita fuerit, *cap. in litteris 24. de testibus, c. discretionem, c. tua, de eo qui cognovit, ubi probavi, et si aliter docuerit Corrañus lib. 1. miscel. c. 3. nec etiam refert, an copula habita sit cum femina volente, an profusus cum invita, ignorante, dormiente, ebria, vel infana; quia ut affinitas contrahatur, tantum desideratur quod copula habita apta sit ad generationem, unde consequens est, ad affinitatem desiderari perfectum congressum cum vera seminis emissionem intra vas femineum, ex ratione textus in *c. fraternitatis, 35. q. 1. c. lex divina 27. q. 2. c. extraordinaria 35. q. 3.* docent cum aliis pluribus Sanchez de matrim. d. disp. 65. n. 8. Basil. supra. Immo & plures apud Dianam p. 4. tract. 4. resol. 43. requirunt utriusque seminis commixtionem, tamen et si contrarium teneant Sanchez lib. 7. disp. 64. n. 21. Torreblanca de jure spirit. lib. 2. cap. 5. sect. 9. Diana 3. p. tract. 5. resol. 19. Similiter probabile est, non sufficere commixtionem seminis operam demonis, seu artificio, sed necessariam esse copulam utriusque modo connaturali, ut fiant una caro. Basil. lib. 7. cap. 35. n. 2. Diana 3. p. tract. 5. resol. 19. contra Sancium lib. 9. disp. 64. n. 15. & alios. Nomina autem affinium utroque jure attento sequentia sunt. Socer, qui est viri, aut uxoris pater, *l. 4. §. gradus, ff. de gradibus.* Socrus, quæ est viri, aut uxoris mater, & ad generum, nurnumque refertur, *d. l. 4. §. gradus, l. adoptivus 14. §. ult. ff. de ritu nupt.* Profocer, qui & focer magnus dicitur, est uxoris, aut mariti avus, & ad prognerum, & pronurum refertur, *d. l. 4. §. gradus, l. 3. §. ultim. ff. de postul.* Profocrus, quæ & focrus magna dicitur, uxoris, aut mariti avia est, *d. l. 4. §. gradus.* Vitricus, maritus alter matris, cum privigno, & privigna con-*

fertur, *d. l. 4. §. gradus, l. 3. C. communia de success.* Noverca, altera patris uxor, & cum privigno & privigna confertur, *d. l. 4. §. gradus;* latè tamen etiam ad avi & proavi uxorem hoc nomen producit, *dict. l. adoptivus, 14. §. 2.* Privignus, uxoris filius ex alio marito, itemque mariti filius ex alia uxore natus, & cum vitrico, vel noverca confertur, *d. l. 4. §. gradus;* latè etiam ad uxoris nepotem, & pronepotem hoc nomen producit, *d. l. adoptivus 14. §. 2.* etiam hoc nomen convenit ei, qui ex non nupta, & quæ post alteri nupsit, natus est, *l. privignus 7. ff. de gradibus non tamen convenit illi, qui ex uxore mea, quæ post divortium alteri nupsit, natus est, l. si qua mihi 12. §. 2. ff. de ritu nupt.* Confoceri etiam dicuntur inter se, quorum unius filius alterius filiam uxorem duxit, Suetonius in Clandio, ibi: Appium & Syllanum confocerum suum occidit. Et eadem ratione comprivigni dici possunt, quorum unus novercæ filius alteram vitrici filiam, aut ex contrario, uxorem duxit, ut in *§. mariti, Instit. de nuptiis, l. cum hic status 32. §. si socer, ff. de donat. inter.* Nomina lineæ transversalis perpaucula sunt in Latina lingua, sed doctrinæ causâ varia finguntur & supponuntur. Fratria, fratris uxor. Nonius autem ait, Fratria appellantur fratrum inter se uxores; unde corrigi dictam legem *4. §. gradus,* Franciscus Hothom. de ritu nupt. c. 10. & pro genitricis, legit fratricis, in *c. quod autem 35. quest. 5.* Fratrisia, uxor fratris dicitur. Etiam fororis maritus novâ, commentitiâ voce sororius dicitur, quia ut ait D. Isidor. lib. 10. etymolog. cap. 7. ille nullum in Latina lingua nomen habet. Frater mariti dicitur levir, *d. l. 4. §. gradus.* Nonius ubi supra, ibi: Levir dicitur frater mariti, quasi levius vir. Profrater etiam dicitur uxoris frater, & proforor mariti foror appellatur. *Glos. ind. l. 4. §. gradus.* Prosequitur alia nomina etiam affinitatis Franc. Hothom. ubi supra.

Deinde, ut affinitatis genera, & gradus agnoscamus, sciendum est, olim affinitatem in triplici genere consideratam fuisse, *c. de propinquis, c. porro, 35. q. 3.* Primum erat inter mulierem copulâ licitâ, vel illicitâ cognitam; & inter viri cognoscentis consanguineos, & e contra; & inter consanguineos mulieris cognita. P. Blesensis epist. 115. ubi: *Inveniuntur canonice, ex quorum intelligentia triplex affinitatis genus, & in eis diversorum distinctionem graduum industria Scholaris explicavit.* Secundum autem oriebatur inter affines, & maritum, seu uxorem sui affinis, veluti si Titius vellet cum uxore Sempronii fratris suæ uxoris post utriusque mortem matrimonium contrahere, quo casu matrimonium celebratum nullum erat. Tertium nascebatur cum marito, seu uxore illius conjuncto in secundo affinitatis genere, exempli gratiâ, si uxor Sempronii prædicti post ejus mortem matrimonium contraheret cum Sejo, quo casu Titius cum eo affinitatem contrahebat, ut docet Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 63. num. 3. Basilus d. cap. 34. n. 1. & olim secundo & tertio affinitatis genere etiam matrimonium prohibebatur, *cap. de propinquis, 35. q. 2. c. 1. & per totum, de sobole ex secundis nuptiis suscepta, in 1. collect.* sed Innocentius III. in Concil. Lateran. relato in *cap. non debet, hoc ritu, secundum* & tertium affinitatis genus sustulit, & primum usque ad quartum tantum gradum matrimonium impedire statuit.

Affinitatis autem nulli sunt gradus, ut ait Mostellianus in *l. 4. §. gradus, ff. de gradibus;* unde in Affinitatibus Pan-

6.
De affinitatis generibus.

7.
Affinitatibus Pan-

quomodo
compute-
tur.

Pandectis Florentinis titulus rectè concipitur de gradibus & affinitibus; & malè in vulgatis habetur, de gradibus affinitatis: & Justinianus in l. 2. §. sexta 7. C. de veteri jure, ait: *Et jus omne, quod de gradibus affinitatibus descendit; cujus rei illa ratio reddi potest, quòd cum nullæ sint affinium generationes, idcirco nec ulli affinium possunt esse gradus; nam pro numero generationum gradus institui solent, ut rectè advertit Cujac. in re- citat. ad tit. de consanguin. in princip. Sed cum Modestino pugnat apertè Paulus in l. jureconsultus 10. in princip. ff. eodem titulo, ubi inquit: jureconsultum nosse debere cognatorum, & affinium gradus. Cujus dissidii componendi causa Cujac. ubi proxime, putat locum Pauli in d. l. jureconsultum, mendosum esse, & sic restituendum, cognatorum gradus & agnatorum. Aliter idem Cujac. ad tit. ff. de gradibus, emendat & ita legit: Cognatorum gradus, & affinium nosse debet. Histamen emendationibus expiis, & omisâ solutione Fornerii lib. 3. select. cap. 26. distinguentis inter jus succedendi, & inter prohibitionem nuptiarum, ut quod ad illud jus atinet, non sint ulli gradus, d. l. 4. §. gradus, quoad nuptias verò gradus sint, d. l. jureconsultus; respondendum exillimo cum Alberico in d. §. gradus, Cujac. ad tit. ff. de gradibus, in princip. Modest. in d. §. gradus, propriè gradus affinitati denegari; Paulum verò in d. l. jureconsultus, abuti appellatione graduum pro serie quadam, adinstar graduum cognationum. Unde inter affines gradus computantur juxta gradus consanguinitatis, l. jureconsultus 10. ff. de gradibus. Ita ut quo gradu quis distat à viro, eodem gradu ab ejusdem uxore distet, vel à muliere extra matrimonium cognita, cap. porro 35. q. 5. l. 5. tit. 6. part. 4. Sanchez de matrim. disp. 64. num. 3. Basilius d. cap. 33. num. 3. ipsos verò conjuges inter se affines non esse, sed principium affinitatis, non obscure colligitur ex l. non ideo 5. C. de hered. inst. gradus autem, tam lineæ rectæ sursum, deorsumque, quàm lineæ transversalis facilè ex omnibus affinitatum supra relatis cognosci possunt.*

8.
De impe-
dimento
affinitatis.

Deinde sciendum est, an hujus affinitatis vinculum originem trahat à jure naturali, an verò à lege positiva? Et distinguendum est inter affinitatem ortam ex copula conjugali, & inter affinitatem proveniente[m] ex copula fornicaria; nam affinitas ex copula licita adinstar consanguinitatis inducit vinculum naturale, ex ea ratione, quia per copulam vir & uxor una caro efficiuntur ad prolis generationem; ac proinde jure naturali consanguinei unius efficiuntur affines alterius, ut docent D. Thomas in 4. distinet. 41. q. unic. art. 1. & pluribus Sanchez de matrim. disp. 65. num. 5. Unde provenit infidelem, qui tempore infidelitatis matrimonium consummavit, non posse post baptismum ritè consanguineam uxoris intra quartum gradum ducere, cap. final. de divorciis, docet Sanchez d. disp. 65. num. 5. etsi dissentiat Henriquez lib. 12. de matrim. cap. 3. num. 4. Ceterùm affinitas ex copula illicita orta non inducit vinculum naturale, sed tantum positivum, ut probat Sanchez d. disp. 65. num. 9. Navarrus lib. 4. consil. 7. de sponsalibus, etsi contrarium teneant Rebellus lib. 3. de matrim. cap. 15. conclus. 2. Hurtado de matrim. disp. 20. difficult. 2. Palau de matrim. disp. 4. puncto 8. Unde fit, posse matrimonium consistere inter eum qui tempore infidelitatis extra matrimonium copu-

lam habuit cum Titia, & ejus consanguinea post baptismum, ut resolvit Navarrus ad hunc titulum, consil. 12. His consequens est, antequam ad gradus, in quibus inter affines nuptiæ prohibentur, perveniamus, exponere, an lege naturali, divinave sint aliqui gradus prohibiti? Et prius de linea recta agamus, in cujus affinitatis primo gradu matrimonium prohiberi jure naturali, veluti inter privignum, & novercam; vitricum, & privignam; focrum, & nurum; focrum, & generum, suaderi videtur primò ex hoc textu, & ex cap. qualiter, cap. de propinquis, 35. q. 3. in quibus docetur, eodem modo abstinendum esse à nuptiis inter affines, & inter consanguineos; sed inter consanguineos jure naturali matrimonium prohibetur in primo gradu lineæ rectæ, ut exponemus infra, in c. quod super; igitur similiter & inter affines. Secundò ex D. Paulo 1. ad Cor. cap. 5. ubi cum de his personis agat, ait: *Talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Ubi innuit, jure gentium simile conjugium non admitti. Faciunt Tertul. ad uxorem cap. 5. ibi: Non defendo secundum legem Creatoris, displicuisse illi qui mulierem patris sui habuit, cum communis, & publicæ religionis securus sit disciplinam. Cicero & Virgil. quorum verba dedi in can. 66. Concil. Illiber. Deinde id probatur ex ratione reverentiæ; eadem enim quæ parentibus debetur, his personis, quæ loco parentum sunt, exhibenda est, l. quia parentis 16. ff. soluto matrim. l. Aristo 40. ff. de ritu nupt. §. affinitatis, & §. focrum, Inst. de nupt. exornant Cujac. lib. 9. observ. cap. 18. & expressit eleganter Pholidides relatus à Cujac. lib. 36. qq. Papin. in l. si adulterium 38. ff. de adult. ibi: *Ne attinge novercam secundo cubili patris, sed eam cole ac matrem.* Quibus, & aliis argumentis docuerunt, in primo gradu jure naturali prohiberi conjugium, Navarrus ad tit. de spons. concil. 14. num. 8. Covarr. de matrim. 2. p. cap. 6. §. 10. num. 19. Bellarminus tom. 2. contro. de matrim. lib. 1. cap. 28. Cujac. in l. ultim. ff. de condit. sine causa. Gothofredus in d. l. 38. §. 5. ff. de adult. pro quibus etiam facit Papinianus in l. si adulterium 38. in princip. ff. de adult. & in l. ult. ff. de condit. sine causa: ubi apertè probat, ex conjunctionibus inter has personas incestum jure gentium admitti; qua de causa videbatur, pecuniam à muliere in hujusmodi nuptiarum causa datam repeti non posse, quasi contra jus gentium, & naturalem honestatem, cujus ignorantia excusari nequibat, d. l. si adulterium §. 1. data esset; & tamen Papinianus in d. l. ult. repetitionem pecuniæ tribuit: sed alia ratione subtili à Papiniano repetitionem concedi notarunt Brissonius de jure connub. pag. 76. A. Faber in ration. ad ipsum textum; quia scilicet matrimonii effectu non sequuto, quod nec jure sequi posset, nulla magis causa dotis dandæ quàm turpis intercesserit, alioquin si de factò nuptiæ sequutæ essent, dos caduca fieret, à fiscoque auferretur, ex l. incesta, l. dote 61. Digestis de ritu nupt. l. 4. C. de incestis nuptiis, junctis traditis à Cujac. lib. 1. qq. Papin. in d. l. ultim. Forner. lib. 4. rer. quotid. cap. 17.*

Contraria tamen sententia, videlicet matrimonium privigni cum noverca, vitrici cum privigna, foceri cum nuru, & e converso, non irritari jure naturali, sed positivo, probant D. Thomas 2. 2. q. 154 art. 9. in solut. ad 3. ubi Cajetanus, Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 66. num. 7. Basil. cod.

9.
Contraria
sententia
probat.

tract. lib. 7. cap. 34. à num. 5. Henriquez lib. 11. cap. 1. num. 2. pluribus relatis Diana 4. p. tract. 4. resol. 93. Fagundez tom. 2. in precept. Decalogi, lib. 6. cap. 6. Joannes Glossator antiquus apud Accursium in d. l. ultim. Brisson. de jure connub. pag. 277. Grotius de jure belli lib. 2. cap. 5. num. 13. quæ sententia evetti non debet à Papin. in d. l. ult. nam ejus autoritas, etsi expressa sit, in hac tamen nuptiali tractatione parvificanda est, cum magis deferendum sit canonicis autoritatibus, quibus non obscure probatur hujusmodi matrimonia lege tantum ecclesiastica vetari, ut colligi primò potest ex cap. de incestis 35. q. 3. ubi præcipitur, matrimonia inter affines primi gradus ante illam prohibitionem contracta dissolvenda non esse. Supponit ergo aperte jure naturali valere, alioquin frustranea esset disputatio. Secundò, & quidem apertius, ex Concil. Aurelianensi 3. can. 10. & extat 2. tom. Concilior. pag. 505. ubi decernit, matrimonia hujusmodi in infidelitate contracta, post baptismum non esse separanda. Tertiò adduci solent historiae sacræ, & prophæ, ex quibus constat, matrimonia hæc jure gentium non fuisse illicita: nam lib. 3. Regum cap. 2. Adonias filius David petiit in uxorem Abisac, quæ antea fuerat uxor patris sui David, ut constat ex eod. lib. cap. 1. sic etiam referente Valerio Maximo Antigonus novercam duxit uxorem; eademque tam infausi matrimonii cupiditate incensus est Imperator Antonius Caracalla, ut refert Spartianus in ejus vita, ubi sic ait: *Interest scire, quemadmodum novercam suam duxisse dicatur, quæ cum esset pulcherrima, & quasi per negligentiam maxima corporis parte nuda esset, dixissetque Antonius: Vellem si liceret; Respondisse fertur: Si libet, licet; an nescis te Imperatorem esse. & leges dare, non accipere? Quo audito furor inconditus ad effectum criminis roboratus est, nuptiasque eas celebravit, quasi sciret se leges dare, cum vere solus prohibere debuisset: matrimonium enim non (alio enim erat dicendum nomine) duxit uxorem ad parricidium, jussit incestum.* Quibus & aliis fundamentis ita docent cum pluribus Sanchez d. disp. 65. num. 7. Basil. lib. 7. cap. 34. à n. 5. Nec in contrarium movere debeat, quæ pro contraria sententia expendimus. Non primum ex præsentis textu cum supra citatis; nam æquiparatio inter consanguineos, & affines non absolute accipienda est respectu prohibitionis naturalis, sed respectu legis ecclesiasticæ, quæ utriusque matrimonia irritat. Non obstat secundum argumentum ex Paulo; est enim ille locus omnino accipiendus de uxore patris adhuc superstitis; alioquin non dixisset Paulus, hujusmodi crimen inauditum esse inter gentes; nec etiam verbo uxoris uteretur, sed relictam patris vocaret. Denique minus obstat ratio reverentiæ; hæc enim non eandem vim habet, ac eam quam filii exhibere tententur parentibus; ac proinde cum ad similitudinem detur, non potest reverentia illa similitudinaria jure naturali irritare hujusmodi matrimonia. Manet ergo, in nullo gradu lineæ rectæ matrimonium jure naturali prohiberi, sed tantum lege Moyfi, data Levitici cap. 18. vers. 8. ibi: *Nuditatem uxoris patris tui ne detegito, nuditas patris tui est: nuditatem mulieris, & filia ipsius (id est privignæ) tua ne detegito: filiam filii ipsius, aut filiam filia ipsius ne uxorem ducito, propinqui sunt patris tui.* Et cap. 20. & Deuteronom. cap. 27. Simile etiam conjugium privigni

cum Noverca jure civili prohibitum fuit, l. si qua 12. l. adoptivus 14. ff. de ritu nupt. l. 17. C. de nuptiis, l. si adulterum 38. §. 3. ff. ad l. Jul. de adult. Item Vitrici cum privigna, §. affinitatis, Insti. de nuptiis. Item nurum ducere non licet, d. l. adoptivus 14. §. nec socrum, §. socrum, Insti. de nupt. Cicero pro Cluentio, ibi: *Nubit genero sacrus, auspiciis nullis, nullis auctoribus, funestis limumibus: o mulieris scelus incredibile, & præter hoc unum in omni vita inauditum! o libidinem effrenatam, & indomtam! o audaciam singularem!* Inter comprivignos verò ritè contrahi matrimonium docetur in l. generali 34. §. 2. ff. de ritu nupt. l. Tutia qua 134. ff. de verb. obi. §. 8. Insti. de nuptiis: ubi rationem reddit Hothomanus. Sacris etiam canonicibus in hujusmodi linea recta matrimonium prohiberi jam probavi in can. 66. Concil. Illiber. Circa primum gradum lineæ transversalis non levis hæsitatio est, quo jure cum uxore fratris præmortui matrimonium prohibetur, ut ex adducendis infra in cap. fin. de divortis, apparebit. In aliis autem gradibus affinitatis olim usque ad septimum, ad similitudinem consanguinitatis prohibebatur matrimonium, ut ex præsentis textu, & aliis supra citatis constat: postea ad quartum usque gradum fuit impedimentum hoc restrictum, cap. 1. §. 8. ita tamen, quod si matrimonium contractum fuisset in quarto affinitatis gradu, non dissolveretur, cap. 3. 45. q. 3. cap. non debet, hoc titul. tandem post Concil. Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 3. impedimentum hoc tantum extenditur ad secundum gradum inclusivè, Macedo de clavibus Petri, lib. 4. cap. 10. de matrim. fol. 605.

Ratio autem cur prohibeantur nuptiæ inter affines, ex eo provenit, quia vir & uxor una caro sunt, ideoque uxoris cognati fiunt quodammodo viro cognati, cum sint cognati uxoris, cum qua maritus est una caro; & ideo in cap. si vir 15. §. 3. docetur nurum pro filia haberi: nec unus propinquus uxoris pertinere potest ad uxorem, quin pertineat ad maritum, cap. 1. 35. q. 10. æqualiter scilicet, ob eandem rationem, quia una caro sunt, cap. 1. & 2. 35. q. 10. Unde in can. 13. 35. q. 3. omninò exæquantur consanguinei uxoris nostris consanguineis, dum docetur, ut non magis jungatur vir consanguineis uxoris suæ, quam suis consanguineis. Unde sicut inter consanguineos matrimonium prohibetur, ita & inter affines. Rationem autem, quare inter consanguineos matrimonium inhibeat, assignabimus, & illustrabimus infra in cap. quod super. Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam respondendum est, quod licet Christus Dominus non tulisset leges politicas; tamen non est negandum, potestatem habuisse eas ferendi, & ita Summum Pontificem ejus Vicarium posse hodie eas dare, præcipue quæ ad æternam salutem fidelium necessariæ sunt. Accedit, nam leges circa matrimonium, non tam politicæ, quam spirituales dicendæ sunt: unde passim legimus in Conciliis plures canones circa matrimonium latos. Nec obstat, quod dicebamus, videlicet Christum Dominum non tulisse leges de consanguineis arcendis à conjugio consanguineorum; nam etsi Christus Dominus in lege gratiæ similes leges non tulerit, tamen Ecclesia potuit eas proferre ex justis causis, quas dabimus infra in cap. quod super. Nec obstat augmentum hujus difficultatis deductum ex dictis Conciliis Turon.

& Parisiensis; nam licet in eis tantum fiat mentio prohibitionis usque ad secundum gradum, non tamen negatur in aliis gradibus usque ad septimum, juxta veteres canones prohiberi. Nec tandem obstat ultimum augmentum dubitandi rationis; nam licet jure civili in linea recta ascendentium, & descendentium tantum nuptiæ prohiberentur in infinitum, quia hi omnes habent vicem parentum, & liberorum; in li-

nea tamen transversali olim tantum prohibebantur nuptiæ inter eos, qui etiam inter se erant parentum, & liberorum loco, l. 4. §. eos itaque, ff. de ritu nupt. Postea verò Imperatores eandem prohibitionem produxerunt ad alias personas, ut ad levirum, fratrem, glorem, & gambreum, l. 1. §. 3. l. penult. & ult. C. de incestis nupt. prosequitur latius Arnold. Vinius lib. 2. select. cap. 3.

CAPUT II.

Urbanus III. (a) Burdegalensi Archiepiscopo.

Super eo, quod juvenem quendam asseris puellam quandam (b) nondum nubilem fide interpositâ desponsasse, quæ jam facta nubilis virum reperit, & ipse excipit dicens, se non debere eam ducere, pro eo, quod postquam puellam (c) affidavit, carnaliter propinquam ejus cognovit: inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si manifestum fuerit, eundem juvenem cognovisse propinquam jam dictæ puellæ, aut si manifestum non est, & etiam id (d) fama loci non habet, cum sponsa sua esset tantum de futuro, idem juvenis ab impetitione puellæ debet absolvi.

NOTÆ.

1. (a) **Urbanus III.**] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 1. ubi additur pars capituli consulti, ut agnoscamus in præfenti referri partem textus in cap. consulti, de usuris. De Burdegalensi Metropoli plura adduxi in cap. fin. de majoribus, & obed.
2. (b) **Nondum nubilem.** De ætate necessaria, tam ad nuptias, quam ad sponsalia, egi in cap.

2. & 3. de despons. impub.

(c) **Affidavit.**] Affidare est fidem suam alicui obstringere; cujus vocis mentio fit in Constit. Neapolit. l. 2. tit. 37. lib. 2. & lib. 3. tit. 7. & 8. notaverunt Gerardus Vossius de vitus serm. lib. 4. cap. 1. Lindembrog. in Glossario, verbo Affidare.

(d) **Fama.**] Quatenus fama sufficiat ad impediendum matrimonium, exposui in cap. præterea, de sponsal. & hujus textus commentarium dedi supra, tit. proximo.

CAPUT III.

(a) Cœlestinus III.

Quod dilectio tua, &c. Quæsiisti à nobis, utrum is qui à stipite per lineam descendente, sexto, vel septimo gradu distat, possit ei, qui ex altera parte per lineam descendente ab eodem stipite, secundo, vel tertio gradu distat, matrimonialiter copulari, propter indulgentiam fel. mem. (b) Adriani Papæ, tunc Albanensis Episcopi, in Norvegiæ Legati; qua permissum est omnibus illius terræ in sexto gradu conjugii: quod tibi videtur convenienter fieri posse secundum regulam à quibusdam Doctoribus approbatam, quæ dicitur, quoto quis gradu distat à stipite, toto distat à quolibet descendente: cum tamen de consuetudine Norvegiæ, si quando talis casus emergerit, incolæ terræ propter proximiorum gradum conjunctos separant, copulari autem volentes non permittunt insimul copulari, sicut litterarum tuarum series demonstravit. Nos verò sic consultationi tuæ duximus respondendum, quod indulgentia sic est intelligenda, ut uterque conjugendorum à stipite sexto gradu distet, cognatione secundum canones computata. Si verò alter sexto, vel septimo gradu distet à stipite, alter verò secundo, vel tertio gradu, conjugii non debent. Unde in hac parte consultius duximus multitudini, & observatæ (c) consuetudini deferendum, quam aliud in dissensionem, & scandalum populi (d) novitate quadam adhibita statuendum.

NOTÆ.

- (a) **Cœlestinus.**] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 2. nullibi tamen exprimitur cui Prælato Norvegiæ, seu Daniæ rescribat Pontifex.

(b) **Adriani Papæ.**] Qui Nicolaus antea dictus, natione Anglus, Canonicus Regularis, ab Eugenio III. electus est Episcopus Cardinalis Albanensis, atque in Sueciam, Norvegiamque missus Legatus, eam gentem postremam propemodum barbarie laborantem, ad Christum convertit.

vertit, Romamque reversus Anastasio IV. qui factus fuerat, sub Adriani IV. nomine Summus Pontifex successit anno 1154. referunt Baronius eod. anno, Carolus à S. Paulo in *Bibliotheca Pontif. verbo Hadrianus*, Sanctus Antoninus 2. p. *bislor. Canonic. regul. cap. 56. n. 5. & lib. 3. cap. 52. num. 6.*

(c) *Consuetudine.* Quatenus consuetudine impedimenta matrimonii induci possint, exposui in *cap. 1. de spons.*

(d) *Novitate.* De ea vitanda plura dedi in *cap. cum in consuetudinis, de consuetudine.*

COMMENTARIUM.

2.
De lineis
consanguini-
tatis.

PRæmissis quæ de consanguinitate, & ejus impedimento ad nuptias dabimus infra in *cap. quod super*, sciendum est, lineam consanguinitatis duplicem esse; aliam rectam, aliam verò transversalem. Linea recta nuncupatur illa, juxta quam plures personæ ita ab uno stipite mediâtè, vel immediâtè descendunt, ut una sit ab altera genita, veluti filius à patre, nepos à filio; quæ etiam dividitur in lineam ascendentium, & descendentium; nam licet reipsa eadem sit, tamen distinguitur ea ratione, quia linea ascendentium appellatur illa, quæ à genicis ad progenitores progredimur, illorum stipitem quærendo, numerando patrem, avum, proavum, & alios: linea verò descendentium dicitur illa, quæ descendimus à genitoribus ad genitos, scilicet à patre ad filium, nepotem, pronepotem, & cæteros. Linea collateralis, seu transversalis, dicitur illa, secundum quam varix personæ ab uno stipite mediâtè, vel immediâtè proveniunt, ipsæ tamen personæ à se invicem non descendunt: quare filii Joannis, qui sunt fratres, inter se lineam collateralem constituunt, quia unus frater non descendit ab alio, sed ambo immediâtè ab ipso patre procedunt. Hæc autem transversalis linea duplex est, una æqualis, quæ est inter personas à communi stipite æqualiter descendentes, videlicet inter fratres, & eorum filios: alia est inæqualis inter personas inæqualiter distantes à communi stipite, ut contingit in patruo, & amita respectu consobrini.

3.
De gradibus
consanguini-
tatis.

Ut autem cognoscatur, quoto gradu consanguineus distat ab alio, in hac computatione triplex regula observanda est. Prima pro linea recta, & alia duæ pro linea transversali. Prima regula est: In linea ascendentium, & descendentium, tot sunt gradus, quot sunt personæ, idest generationes, *cap. parentele, 35. q. 5.* & cum generatio inter duos detur, idest inter genitorem, & genitum, idcirco pater qui est stirps, secundum se non constituit gradum, & per consequens in computatione graduum consanguinitatis una persona demi debet: unde ut sint quatuor generationes, quinque personæ intervenire debent; ideoque pater, filius, nepos, abnepos, pronepos, licet sint quinque personæ, quatuor gradus sunt, quia filius cum patre in primo gradu est, nepos in secundo, abnepos in tertio, pronepos in quarto, *cap. primo gradu 35. q. 5. §. primo gradus, cum sequentibus, Instit. de gradibus cognat.* Secunda regula est: In linea transversali æquæ distantium, quo gradu distat ab stipite, eodem gradu distat inter se; quare duo fratres sunt in primo gradu, quia eodem distat à communi ipsorum patre; filius verò unius fratris est in se-

cundo gradu cum filius alterius fratris, quia duobus gradibus distat à communi stipite, qui est avus, quo sublato manent duæ generationes, & per consequens duo gradus, ut traditur in *cap. ad Sedem, 35. q. 2.* Tertia regula est, in linea transversali inæqualiter descendentium, quo gradu remotior distat ab stipite, eodem gradu distat inter se, ex præsentis textu, & *cap. final, hoc titul.* Unde si Titius duos filios habeat, videlicet Sempronium, & Sejum; & Sempronius habeat filium, & nepotem, nepos cum Sejo est in tertio gradu; nam cum nepos Sempronii tribus gradibus distat à communi stipite, idest à Titio, & in linea æquali semper remotior gradus attendatur, dicendum est, neptem Sempronii cum Sejo in tertio gradu esse. Licet autem in linea recta æqualiter computatio procedat jure canonico, & civili; tamen quoad secundam, & tertiam regulam non idem observatur; nam jure civili in linea transversali tot sunt gradus, quot sunt personæ, *§. tertio gradu, Instit. de gradibus*; & hac de causa Imperator Justinianus in *§. duorum autem Instit. de nuptiis*, asserit inter duorum fratrum liberos matrimonium contrahi valere, quia eodem jure in quarto gradu, quo non prohibebatur matrimonium, existebant; quæ computatio quoad hæreditates, & tutelas in utroque foro observanda est; quoad matrimonium verò computatio canonica observatur. Discriminis rationem assignat Alexander II. in *d. cap. ad Sedem 35. q. 5.* in illis verbis: *Hæc igitur de causa, quia hæreditates non possunt deferri nisi de una ad alteram personam, idcirco curavit secularis Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia verò nuptiæ sine duobus fieri personis non valent, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas.* Sed cum hæc ratio æquæ militet in nuptiis ex jure civili, alia reddenda est, videlicet, quod cum Ecclesiæ Patres longius protraxerint impedimentum hoc, quàm civilis legislator, ut incestus vitetur; ideo in qualibet generatione unum tantum gradum agnoverunt, lex verò civilis tot gradus, quot sunt personæ.

Unde ut ad præsentem textum accedamus, infertur, cum qui per unam lineam distat à communi stipite quinto gradu, posse matrimonium contrahere cum omnibus alterius lineæ, etiam si alter solum distaret primo gradu à communi stipite; quia in hac computatione remotior gradus attenditur, *cap. final, hoc titul.* docent Sanchez *d. disp. 53. num. 5.* quamvis Hostiens. & Cujac. in præsentis, Duaren. in rubrica ff. *solus. matrim. tit. de nupt.* *cap. 3. vers. Ex quo consequitur.* aliud existiment. Ratio est, nam cum collaterales non habeant inter se aliam consanguinitatem, nisi quam obtinent ratione primi stipitis, & proinde nullus possit habere majorem propinquitatem ad alium alterius lineæ, quàm ipse ab stipite tenet; consanguinitatis enim virtus quanto magis descendit, tantò magis debiliatur, juxta textum in *cap. consanguinitas, 35. q. 4.* quod exemplis illustrat Sotus in *4. distinct. 4. q. unic. art. 2. column. penult.* idèò remotior gradus attenditur. Inde infertur, in impetranda dispensatione ad contrahendum matrimonium intra gradus prohibitos, sufficere exprimere gradum remotiorem, nec esse necessarium simul mentionem facere propinquois gradus, quo alter distat, ut probatur in extravaganti Clementis VI. quæ incipit *Nuper*, nondum excusa, & docuerunt Felin. in *cap. peninsula*.

4.
De gradibus
inæqualibus.

*fulasti, num. 9. de rescript. Covarr. in 4. 1. p. §. 10. num. 12. latè Barb. voto 3. per totum. Nec contrarium probatur in præsentis textu, dum in eo docet Cælestinus, non sufficere remotioris personæ, sed utriusque gradus mentionem fieri debere in simili dispensatione; nam specialiter præsens decisio procedit in provincia Norvegiæ, ubi consuetudine introductum erat, ut sublato remotioris gradus impedimento, non ex eo propinquois gradus esset sublatum impedimentum: atque ita præsens dispensatio non erat interpretanda juxta jus commune, sed secundum provinciam consuetudinem, ut docuerunt Glossa in præsentis, verbo *Utrique*, Abbas num. 7. Covarr.*

d. §. 10. num. 12. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 31. & disp. 24. à num. 23. hodie tamen cautum est, per Sanctissimum Pium V. in ejus constitutione, quæ incipit, Sanctissimus in Christo, non esse in hujusmodi dispensationibus necessariam propinquois gradus mentionem, sed sufficere remotiorem gradum tantum exprimere, obtentis postea super propinquois gradu litteris declaratoriis; nec ideo prius rescriptum subreptitium esse, eo quod propinquois gradus mentio facta non fuisset: quod præcipuè observandum est post declarationem Urbani VIII. quam refert Barbosa d. vot. 3. ad finem.

CAPUT IV.

Innocentius III. (a) *Archiepiscopo & Capitulo Tyren.*

DE infidelibus ad fidem conversis nos consulere voluistis, utrum si ante conversionem suam, secundum legis (b) veteris instituta, vel (c) traditiones suas contra gradus consanguinitatis à canone denotatos conjuncti fuerint, separari debeant post baptismum. Super hoc igitur devotioni vestræ daximus respondendum, quod matrimonium sic ante conversionem contractum, non est post baptismi lavachrum separandum, cum à Judæis Dominus requisitus, si licet uxorem ex qualicumque causa relinquere, ipsis responderit: Quod Deus conjunxit homo non separet, per hoc innuens esse matrimonium inter eos. Datum Lateran. 3. Calend. Januarii.

NOTÆ.

(a) *Tyren.]* Ita restituo inscriptionem & litteram hujus textus ex epistolis Innocentii III. editis à Cardinale Sirleto. fol. 294. cum in cap. 1. hoc tit. in 3. collect. malè legatur *Tyren.* & in hac sexta collectione, *Tyren.* De Tyrensi dicecesi nonnulla adduxi in cap. 8. de officio ordin.

(b) *Legis veteris instituta.]* Relata in cap. 18. & 20. *Levitici*, quæ referunt & exponunt Franciscus Hothom. de ritu nupt. cap. 6. Becanus in analogia, cap. 20. & nos infra dabimus.

(c) *Traditiones.]* Quæ variæ fuerunt pro diversitate gentium: ferè omnes congestit Alex. ab Alex. lib. 1. dierum genial. cap. 24. ubi plura Tiraquell. & in l. 7. connubiali.

Barb. hic, Balboa in cap. gaudemus, num. 30. de divortis, Cujac. & Canisius in præsentis, Ricciul. de jure person. lib. 2. cap. 3. Covarr. de matrim. 2. p. cap. 1. §. univ. n. 4. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 8. num. 1. Basil. eod. tract. lib. 1. cap. 6. num. 6. Dartis ad Decretum, in dist. 28. q. 1. Rebel. de justitia lib. 2. de matrim. q. 3. Petrus Greg. lib. 9. syntagm. cap. 4. & lib. 3. part. tit. 21. cap. 13. num. 2. Bellarminus tom. 2. controu. de matrim. c. 5. & 12. Beyerlinch. in theatro vite humane, verbo Matrimonium, tit. de matrim. Insid. Fragos. p. 2. de regim. Christiana Republica, cap. 1. §. 10. n. 197. D. Josephus de Retes lib. 8. opusc. in q. morali, Utrum filii suscepti, &c. num. 10. Altesferra in præsentis.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Si leges Ecclesiasticas non tenerentur infideles observare in suis matrimoniis tempore infidelitatis celebratis, sequeretur, quod repudium illis permissum lege veteri, cap. 24. *Deveron.* relato in cap. non satis 34. q. 1. factum inter Judæos ante baptismum maneret, & sustineretur etiam post baptismum, cum factum esset tempore infidelitatis: sed post baptismum tale repudium non sustinetur, immò infidelis baptizatus tenetur cohabitare cum conjugate infideli repudiata, si ipsa sine dispendio salutis æternæ, aut contumelia Creatoris velit cohabitare, cap. *gaudemus, de divortis.* Igitur quia tenentur infideles, dum sunt in ipsa infidelitate, leges ecclesiasticas servare in matrimoniis contrahendis, & per consequens non possunt contrahere in gradibus ab Ecclesia prohibitis; & si contraxerint, post baptismum sunt separandi. Augetur hæc difficultas, nam irregularitas bigamiæ ex iteratis nuptiis proveniens est juris ecclesiastici: sed si infidelis contrahat duplex matrimonium in infidelitate, aut unum dum infidelis

2.
Traditur
dubitandi
ratio.

COMMENTARIUM.

1. *Conclusio traditur & probatur.*
EX præsentis textu sequens deducitur assertio; *Matrimonium ab infidelibus celebratum in gradu cognationis ab Ecclesia prohibito, non dissolvitur per baptismum ab ipsis susceptum. Probant eam textus in cap. deinde, 26. distinct. cap. 1. cap. final. 28. q. 1. cap. 3. de presbyt. non baptiz. cap. quanto, cap. gaudemus, de divortis, cap. final. qui filii sint legit. cap. final. hoc tit. in 3. collect. ibi: Tue discretionis prudentiam. Et infra: Cæterum in quarta, quam nobis consultationem fecisti, quid tibi faciendum existat de his, qui matrimonio jam contracto, soboleque suscepta, in sexto consanguinitatis gradu inventi fuerint se ad invicem attingere, taliter respondemus, quod cum Judæis expedire, & dissimulare poteris taliter copulatos, maxime qui dum pacifice commanserunt. Et l. final. tit. 6. part. 4. Illustrant ultra congestos à*

fidelis est, alterum dum baptizatus reperitur, bigamiam incurrit, nec ad ordines promoveri valet, *cap. si quis viduam 34. d. cap. acutus 28. q. 3. probat Dartis in dist. 28. q. 1. & notavi in cap. 3. de bigamis non ordin.* Ergo quia circa impedimenta sacramentorum etiam à jure ecclesiastico provenientia, tempus infidelitatis attenditur, & per consequens nec tunc in gradibus ab Ecclesia prohibitis matrimonium contrahere possunt.

3.
De matrimonio
apud infideles.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præiens assertio, pro cujus expositione sciendum est, matrimonium triplex dari, aliud legitimum, aliud ratum, consummatum aliud. Legitimum illud dicitur, quod legitimo consensu contrahitur, quale datur apud Judæos & Gentiles; hoc enim verum est matrimonium, sed non ratum, *cap. final. vers. item illud, 28. q. 4. cap. quanto, vers. nam est, de divortio.* Ratum est illud, quod à Christianis juxta sacros canones contrahitur, quod ratum est ab Ecclesia, & suscipitur ut sacramentum, *cap. ex publico, ubi notavi, de convers. conjug.* Consummatum est, quod omnino copulâ carnali firmatum reperitur. Et licet Catherinus *lib. 5. contra Cajetanum, tit. de matrim. q. 3. Roffensis contra Regem Angliæ, assert. 7. de sacram.* Castro de hæresibus, verbo Nuptiæ, hæresi 3. existimaverint, olim matrimonium in statu naturæ, & hodie apud infideles non solum ut contractum, verum ut sacramentum sustineri, quod probare intendunt *ex cap. veniens, de presbyt. non bapt. cap. accedens, de divortio, cap. penult. de transact.* ubi docetur sacramentum matrimonii æquè dari apud infideles, ac apud fideles; & ex D. August. *lib. de bono conjugali, cap. 18.* ubi ait Sanctus: *Sacramentum matrimonii esse omnibus gentibus commune.* Tamen verius est, matrimonium inter fideles tantum celebratum, sacramentum esse gratiam conferens; unde ut sacramentum novæ legis refertur à Patribus Concilii Florent. *in decreto de Sacramentis, Trident. sess. 24. cap. 1.* & probant latè Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 5.* Balboa *in cap. gaudemus, num. 20. de divortio:* nec in statu Innocentiæ, & legis naturæ fuit propriè sacramentum, id est signum practicum gratiæ, ut docuerunt D. August. *lib. de bono conjugali, cap. 18. & 24. & de fide & operibus cap. 7.* D. Thomas 3. p. q. 61. art. 2. ad 3. licet quia apud infideles ut contractus sustinetur, lato modo sacramentum matrimonii apud eos dari dicatur in juribus supra citatis: probavi jam *in cap. 1. de sponsalibus.*

4.
Tale matrimonium
an efficiatur sacramentum.

Manet ergo, matrimonium infidelium legitimum esse, id est verum, non verò ratum, quia ab Ecclesia non est ratificatum, ideoque dissolubile est quoad vinculum, veluti per conversionem unius ex conjugibus ad fidem Catholicam; nam si aliter converti nequeat, seu habitare renuat sine contumelia Creatoris, matrimonium dissolvitur, ita ut fidelis possit cum alio novum matrimonium contrahere, ut latè docet Balboa *in d. c. gaudemus, ex n. 51. & exposui in can. 10. Concil. Illib.* Quando verò ambo baptizantur, fidemque Catholicam profitentur, ratum efficitur, id est ab Ecclesia approbatum, & ratificatum, ac magis dissolubile fit. Propterea si ambo baptizentur, non est opus iterum matrimonium celebrari, nec etiam tenentur ad recipiendas benedictiones nuptiales. Sed an per baptismum efficiatur sacramentum gratiam conferens? non constat apud Interpretes. Aliqui affirmant, ipso facto post baptismum transire in sacramentum, atque ideo duplex

sacramentum, & duplicem effectum in eodem instanti recipere conjuges. Ita docuerunt Thomas Sanchez *lib. 2. de marr. disp. 9. n. 5.* Navarrus *ad tit. de convers. infid. lib. 3. consil. 2.* Balboa *in d. c. gaudemus, n. 46. P. Bollo in œcon. canonic. class. 2. cap. 4. s. 7.* Rationem reddunt, quia matrimonium infidelium quando baptizantur, denuò fit ratum, & indissolubile: ergo & sacramentum verum. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia matrimonium baptizatorum redditur magis indissolubile per consummationem, & tamen non fit denuò sacramentum causativum gratiæ sanctificantis. Rectius pro eorum sententia noviter expendi potest *lex si servus 39. ff. de jure dotium,* ubi contubernium servorum post libertatem ab ipsis ademptam transit in conjugium, & dos fit quod tantum peculium erat. Alii affirmant tale matrimonium non transire in sacramentum, donec infideles post baptismum renovent consensum antiquum per aliqua externa signa, vel novum consensum mutuo exprimant. Ita Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 5. ad finem.* Rebel. *lib. 2. de matrim. q. 6. num. 2.* Sed neque hoc modo fieri sacramentum censeo, quia per matrimonium etiam celebratum tempore infidelitatis dominium corporum translatum fuit, & ita neuter ex conjugibus habet potestatem sui corporis: ergo novus iste contractus non est validus, ac proinde non est materia sufficiens ad sacramentum. Verius igitur est, matrimonium ab infidelibus contractum in ipsa infidelitate, etiam post eorum baptismum nunquam posse fieri verum, & proprium sacramentum novæ legis, ut probant latè Petrus à Ledesma *de matrim. q. 59. art. 2.* Valquez *eod. tract. disp. 2. cap. 10.* Coninch. *de Sacramentis disp. 23. dub. 2. concl. 7.* Meratius *de matrim. disp. 2. sect. 9.* Gaspar Hurtado *de matrim. disp. 3. difficult. 16. n. 62.* Basilii Legion. *lib. 1. de matrim. c. 9. n. 8.* Antonius Perez *eod. tract. disp. 19. sect. 11.* Diana 3. p. tract. 4. resol. 233. qui contrariæ sententiæ fundamentis satisfaciunt. Ratio est, quia matrimonium infidelium non est sacramentum tempore, quo celebratur: ergo nunquam fortitur rationem sacramenti causantis gratiam. Probatur consequentia. Nequit aliqua actio esse sacramentum, nisi tempore quo hujusmodi actio existit penes aliquod saltem prædicatum: sed contractus infidelium tempore quo existit, non est sacramentum: ergo postea fieri non poterit. Et ita juxta hanc veriorum sententiam constat matrimonium infidelium manere ratum, & ab Ecclesia approbatum, non tamen esse sacramentum.

His suppositis præsentis assertionis ex eo provenit, nam cum Ecclesia respectu infidelium non possit impedimenta matrimonii statueri, juxta illud D. Pauli *ad Cor. c. 5. Quid enim mihi de his, qui foris sunt, indicare?* quare non ligari constitutionibus Ecclesiæ latis pro ejus regimine, probat Riccius *lib. 2. de jure person. c. 3.* ideo si secundum suæ religionis leges matrimonium celebrent in gradibus per sacros canones prohibitis, validè & ritè contrahunt; quia apud eos matrimonium ut contractus celebratur, non in perfectione sacramenti, ut supra probavi. Per susceptionem verò baptismi matrimonium legitime celebratum non dissolvitur, quia per baptismum peccata remittuntur, non verò conjugia solvuntur, *c. 1. 28. q. 2. c. 8. de divortio.* Nec obstat quod affirmat D. Hieronymus *in epist. ad Oceanum, relatus in c. 1. 28. q. 3.* ubi ita novum hominem fieri in baptismo, & novam

5.
Traditur
ratio decidendi.

novam vitam habere testatur, ut etiam non vivat nomen uxoris, vel mariti: & ex Glossa ordinaria Nicol. de Lira, qui secutus est D. Hieronymi opinionem; atque exponens, *unius uxoris virum*, illud intelligit post baptismum, ita ut uxor ante baptismum novo homini non imputetur. Verum respondetur, prius matrimonium, quod contractum est ante baptismum, non dissolvi baptismo: & ratio est, quia in baptismo solvuntur crimina, non conjugia; matrimonium autem cum sit etiam ante baptismum lege permissum, non est ponendum inter crimina, & ideo neutiquam venit dissolvendum, ut rectè ait Innocentius I. *epist. 22. cap. 2. Nuptiarum ergo copula Dei mandato perfecta non est peccatum, ac proinde nec inter peccata dimittitur; integrumque, ac salutare est existimare, aboleri non posse prioris nomen uxoris, cum non dimissum sit pro peccato, quod ex Dei sit voluntate completum.* Et *epist. 24. cap. 6. Non admittendum quod aliquanti pro defensione pravi erroris opponunt, ante baptismum omnia dimitti, non uxorum numerum aboleri.* Et D. Ambrosius *lib. 1. officior. in fine*, idem plenè habet his verbis: *Sed cum in conjugio lex sit, non culpa; quod culpa est, in baptismo relaxatur; quod legis est, non solvitur, aut aboletur.*

6. *Dissolvi- tur dubi- tandi ratio.*
Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, ex casu repudii facti ab infideli in ipsa infidelitate, quod improbat Ecclesia, jubens in *d. cap. gaudemus*, ut infidelis baptizatus recipiat, retineatque uxorem, quam repudiavit juxta legem Moysis in ipsa infidelitate. Nam respondendum est, post legem Evangelicam, nec Hebræis, nec Gentilibus licitum esse divortium, nec ullo modo vinculum matrimonii repudio dissolvi, juxta sententiam Christi Domini apud Matthæum *cap. 19.* quam expendit Innocentius III. in *d. cap. gaudemus*: nam cum hoc præceptum non solum sit divinum, verum & naturali juri consonum, cessante dispensatione in lege veteri Moysi data facta, necessariò hodiè vinculum matrimonii juxta ejus naturam erit indissolubile apud omnes gentes, sive Judæos, sive Gentiles, ut probant Balboa in *d. cap. gaudemus*; *num. final. P. Greg. lib. 1. partii. tit. 12. cap. 3.* Nec audiendi sunt Panormitanus in *presenti*, August. Barb. in *l. nemo 7. C. de Judæis*; dum docent, permitti hodiè Judæis secundum legem veterem repudià primà uxore aliam ducere. Nec obstat augmentum difficultatis deductum ex *d. cap. acutius*, cum similibus; nam ut probavi in *cap. 3. de bigamis*, impedimentum bigamiæ non tollitur per baptismum, immò ad illud ratio habetur matrimonii in infidelitati contracti; quia impedimentum hoc non provenit ex delicto, sed ex defectu significationis, quia etiam post baptismum datur, & ideo infidelis etiam post baptismum illud retinet, ut latius probavi in *dicto cap. 3.*

7. *Exponitur, in nemo, c. de Judæis.*
Sed supra traditæ asserzioni apertè opponitur textus in *l. nemo Judæorum, C. de Judæis*, ubi differtè statuitur, ut nemo Judæorum morem suum in conjunctionibus retineat, nec juxta legem suam nuptias fortiat: ergo Judæi, & ceteri infideles non possunt juxta proprias leges in gradibus ab Ecclesia prohibitis matrimonium celebrare. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, constitutionem illam procedere jure civili attentò; nam jure Canonico inspectò (cui in hac

parte standum est) cum Ecclesia non habeat potestatem in Judæos & ceteros infideles, non potest impedire, seu irritare matrimonia ab eis celebrata in gradibus tantum per sacros Canones prohibitis: docet Ricciulus *lib. 2. de jure person. c. 3. n. 7.*

8. *Explicatur cap. num. quid 28. q. 3.*
Ex supra traditis lucem accipit Innocentius I. in *epistol. ad Episcopos Macedonia*, relata à Gratiano, tum in *cap. deinde, vers. nunquid, 26. dist. rum in cap. nunquid, 28. q. 3.* ubi docet Pontifex, filios procreatos ab infidelibus in ipsa infidelitate, legitimos reputari, & succedere parentibus, etiam cum aliis susceptis post baptismum ab ipsis conjugibus: quod etiam docetur in *l. 8. tit. 24. partii. 7.* Ratio dubitandi oriebatur ex eo, quod filii suscepti ex justis nuptiis, præferuntur procreatis extra illas, tam ex jure divino relato *Genesis cap. 21. & Judicium cap. 11.* quàm civili; de quo in *l. 2. vers. Itaque, l. si spurus 4. l. Modestinus 8. ff. unde cognati, l. i. §. sed & vulg. ff. ad Tertyl. §. vulgo questus, Instit. de succes. cognat.* Sed filii nati ex matrimonio inter infideles contracto, non sunt nati ex matrimonio ita justo, ac nati ex matrimonio inter fideles celebrato; siquidem matrimonium infidelium non habet rationem perpetui vinculi, siquidem dissolvi potest altero ex conjugibus ad fidem Catholicam converso, altero renuente cohabitare sine contumelia Creatoris, *cap. gaudemus, de divortiiis*: tum etiam, quia non habet rationem sacramenti, ut proximo commentario probavi. Sed contrarium decrevit Innocentius in *d. cap. nunquid*, & docuerunt Gregorius Lopez in *d. l. 7. gloss. 5. Tiraquel. de jure primog. q. 66.* Ricciulus *de jure person. lib. 2. cap. 47. num. 8.* D. Joseph de Retes *d. lib. 8. opuscul.* Quod & firmari potest exemplo Clodovei Regis Francorumi, qui in infidelitate permanens; uxorem duxit sanctam Clotildam anno 494. ut referunt Aymonius *de gestis Francorum lib. 1. cap. 13.* Gregorius Turon. *lib. 2. historie Francorum*, Hincmarus in *vita sancti Remigii*; & Clodomirus susceptus in ipsa infidelitate, successit in Regnis cum Childeberto, Clotario, & Theodorico, qui suscepti fuerunt post baptismum ipsius Regis, ut refert Baronius anno 514. Hujus doctrinæ ratio provenit ex supra traditis; nam cum matrimonium apud infideles celebratum æquè legitimum sit in ratione contractus, ac apud Catholicos, detractâ perfectione sacramenti, ideo filii ex eo suscepti illegitimè succedunt parentibus, etiam simul cum aliis post baptismum susceptis; quæ doctrina ampliatur, ut non solum procedat quando filius susceptus à patribus infidelibus simul cum ipsis religionem Catholicam profitetur, verum etiam in ipsa infidelitate permaneat; quod an procedat in Regnis, & summis Principatibus, disputant Solorzanus *1. tom. de jure Ind. lib. 3. c. 5.* D. Josephus de Retes ubi *suprà, num. 17.* Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam licet verum sit, filios legitimos præferri in successione filiis illegitimis; filii tamen ab infidelibus suscepti sunt legitimi, & ex legitimo matrimonio nati, licet non æquè perfectum sit matrimonium illud, ac celebratum apud fideles: ideoque in hoc casu non concurrunt filii legitimi cum illegitimis, quia omnes ex legitimo matrimonio nati sunt.

CAPUT V.

Idem (a) *Rossanensi Archiepiscopo.*

Quod super his articulis, qui tibi aliquam dubitationem inducunt, nostrum ducis consilium requirendum, & ad ea exequenda, quæ officium postulant pastorale, Apostolicæ Sedis procuras auxilium invocare, sollicitudinem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, & postulationibus tuis grato animo respondemus. Significasti siquidem nobis, quod in diocesi tua pater & filius matrem & filiam, duo cognati duas cognatas, avunculus & nepos duas sorores tuas in conjuges: & maritus, & uxor simul baptizant puerum alienum. Qui tam præterea tuæ diocesis infra tertium & septimum gradum consanguinitatis se contingentes, matrimonia adinvicem contrahunt, hoc sibi licere de antiqua consuetudine asserentes. Quidam etiam sacerdotes Latini habent in suis domibus concubinas, & nonnulli aliquas sibi non metuunt desponsare: & cum earum aliqua mortua fuerit, vel ab aliquo sacerdote ejecta, confestim aliam introducunt, & in ignominiam clericalis ordinis taliter permanent uxorati. Item Abbates, & Sacerdotes tuæ diocesis ad Synodum tuam (b) venire renuunt convocati, dicentes, veniendi ad Synodum consuetudinem non habere, & sic jurisdictionem tuam, tam in his, quam in aliis contemnes, de rationibus suis tibi, sicut tenentur, negligunt respondere; & cum ad monasteria vis accedere, sicut ad tuum dignoscitur officium pertinere; vel sacerdotes super prædictis excessibus animadversione debita castigare, ipsi appellationis obstaculum interponunt, ut tuam taliter effugiant disciplinam. Ad hæc Capellani Castellii Rossanen. aliquando matrimonia non conjungenda conjungere, & alia non dividenda dividere non verentur, licet ipsi non debeant de matrimoniis judicare. Super eo igitur quod pater & filius cum matre & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, avunculus & nepos cum sororibus contrahunt matrimonia, taliter tibi duximus respondendum, quod licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris affines sint viri: inter consanguineos tamen viri, & consanguineos uxoris, ex eorum, viri videiicer, & uxoris conjugio nulla prorsus (c) affinitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Quamvis & vir, & uxor alienum puerum teneant in baptismo, nulla tamen inter eosdem virum & uxorem contrahitur compaternitas, cum una caro sint per copulam conjugalem; & ideo reddere sibi debitum minimè prohibentur. Item cum in sacris canonibus gradus sint consanguinitatis distincti, & per eosdem inhibiti, ut nullus infra septimum gradum consanguinitatis lineam attingentem sibi audeat in matrimonium copulare, ne infra gradus eosdem contrahatur, debes publicè inhibere, & præsumptores ecclesiasticè districtione punire, non (d) obstante consuetudine, quæ dicenda est potius corruptela. Cum autem sacerdotes Latini nullas sibi possint matrimonialiter (e) copulare, nec illis habere liceat (f) concubinas: ut Latinos presbyteros tuæ diocesis, qui à te commoniti à sua noluerint præsumptione desistere, per suspensionem officiorum & beneficiorum subtractionem ad id compellere valeas, liberam tibi concedimus auctoritate Apostolica facultatem. Similiter etiam Abbates, & Sacerdotes venire renuentes, dummodo in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum, quod fortè canonicis obviet institutis, per censuram ecclesiasticam ad Synodum ipsam venire compellas, & debitam tibi reverentiam & obedientiam exhibere. Capellanis præterea Castellii Rossanen. firmiter sub qua convenit districtione (g) prohibeas, ne (sicut non debent) super confirmandis, vel dimittendis matrimoniis exerceant aliquam potestatem. Quod si fortè contumaces extiterint, canonicè eos poteris severitate punire. Cum autem appellatio sit inventa non in diffugium opprimentium, sed in refugium oppressorum, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut juxta formam præmissam procedere valeas, non obstante (h) appellationis objectu, si qua forsitan fuerit interposita in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ. Nulli ergo, &c. liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, &c. Dat. ut supra, ii. Calend. Januarii.

NOTÆ.

(a) *Rossanen.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 2. & in epistolis

Innocentii editis à Sirleto fol. 425. ex quo registro ita litteram textus restituo: & hanc epistolam scripsisse Innocentius III. anno 1199. refert Raynaldus anno 1199. n. 54. Rossus est antiqua civitas

vitas Syria in Cilicia secunda, quæ olim habuit Ecclesiam Cathedralem, cujus Episcopus Eustachius subscripsit Concilio Chalcedonensi.

(b) *Synodum venire vocati.* Juxta tradita infra, in cap. cum olim, de accusatione.

(c) *Affinitas est.* Juxta tradita supra in c. 1.

2. (d) *Obstante consuetudine.* At consuetudo legitime præscripta, potest abrogare impedimenta inducta jure positivo, ut probant Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 4. num. 4. Coninch. de sacramentis disp. 30. dub. 1. A. Perez eod. tract. de matrim. disp. 21. sect. 6. Gibalin. tom. 2. scient. can. lib. 6. cap. 4. quest. 5. ergo præsens consuetudo observari debebat. Sed respondendum est in præsentem casu agi de consuetudine, quæ non erat legitime præscripta, sed quæ incerta erat, & ab aliquibus dumtaxat servabatur. Aliter satisfaciunt Coninch supra, n. 14. Palau tract. 3. de legibus, disp. 3. punct. 4. De consuetudine, & ejus vi circa impedimenta in matrimonio inducenda, vel tollenda, c. 1. de spons.

(e) *Copulare.* Ut probavi latè in c. 1. de clericis conjugatis.

(f) *Concubinas.* Ut illustravi in c. 3. eod. tit.

3. (g) *Prohibere.* Verum enim est, causarum matrimonialium cognitionem spectare ad Episcopum diocesanum, c. accedentibus, de privis. probavi in c. 1. ut lite non contest. & ita Capellani hujus Castellii Rossanensis non poterant de causis ipsis cognoscere. Hodie tamen in exercitiis magni nostri Monarchæ sunt quidam Vicarii generales, habentes sub se Capellanos exercitus, qui sunt judices delegati, & cognoscunt de causis matrimonialibus militum, & eorum divortii, de quorum jurisdictione nonnulla adduxerunt Zypcus ad hunc tit. consult. 14. de jure Pontificio novo, ad tit. de officio ordm. c. 4. Diana p. 10. tract. 15. resol. 15. non tamen posse eos ut parochos matrimoniis militum adesse, respondit Academia nostra Salmanticensis anno 1660. ad consultationem factam per supremum belli consilium, pro expositione Bullæ Innocentii V.

(h) *Appellationis objecta.* Quia à correctione aut visitatione non datur appellatio, ut probavi in c. 27. de appellat.

COMMENTARIUM.

4. Conclusio traditur & probatur.

EX hoc textu juxta rubricam, sub qua jacet, & prout compilatur à Raymundo in præsentem, communiter talis deducitur assertio: *Inter consanguineos usque ad septimum gradum non potest matrimonium celebrari.* Probant eam Higinus Pontifex in c. si qua mulier 31. q. 10. Favianus Papa in cap. de propinquis, Julius I. in c. nullum, Calixtus I. in c. conjunctiones. Nicolaus II. in c. de consanguinitate, Gregorius Magnus in c. quadam 35. q. 3. Alex II. in c. ad sedem 35. q. 5. Gregorius II. epist. 8. ad finem, ibi: *Progeniem suam quemque usque ad septimam observare decernimus generationem.* Gregor. III. epist. 4. ad Bonifacium Episcopum, ibi: *Quota progenies propinquorum matrimonio copuletur? oportuerat quidem quamdiu se agnoscent affinitate propinquos, abstinere, &c. in eam barbaram gentem concedendum est, ut post quartam generationem jungantur.* Leo IV. epist. ad Episcopos Britan. c. ult. *Ut definitum est à patribus, nullus de propria cognatione sibi audeat copulare, alioquin anathema sit.* Gregor. VII. lib. 1. epist. 5. Concil. Vormaticense can. 77. *Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur.* Troslejan. can. 9. *Omnia prohibendum est, ne que uxor habenda est, sit propinqua.* D. D. Gonzal, in Decretal. Tom. IV.

quia scriptum est: *Omnia homo ad proximam sanguinis non accedat.* Tolet. 2. can. 6. Aurel. 3. can. 10. Aurel. 4. can. 27. Paris. 3. can. 4. Matifcon. 2. can. 18. Arrelat. 4. can. 11. Cabilon. 2. can. 28. Magunt. sub Rabano can. 29. & 30. Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 5. Hugo Carnot. epist. 45. ibi: *Vnde vobis ex Apostolica & canonica auctoritate præcipimus, ut tam calumniosum conjugium in Ecclesiis nostris Episcopatus, nec ipsi consecratis, nec ab aliquo, quantum in vobis est, consecrari permittatis, nisi primum in præsentia nostra consanguinitatis hæc septimum gradum excessisse legitime fuerit comprobatum.* Et l. nuptia 53. l. final. ff. de ritu nupt. l. nemini 17. C. de nuptiis, §. ergo, Instit. eod. tit. l. 4. tit. 6. part. 4. Alia juris testimonia, & sanctorum Patrum decreta congesserunt Ant. Augustinus in epist. lib. 28. tit. 11. Crespetius in summa, verbo Consanguineorum. Jodocus Coccius lib. 9. thesauri, art. 5. Illustrant ultra congestos à Barbosa in præsentem, Scortia in select. epist. 230. Junius lib. 1. polit. c. 37. Petrus Greg. lib. 9. synagm. c. 11. Bobadilla lib. 9. polit. c. 9. Mancinus de triplici juris collat. c. 112. Coqueus in notis ad D. Augustinum lib. 16. de civit. Dei, c. 16. Costanus de spons. fol. 110. Antonius Perez de matrim. disp. 28. sect. 1.

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem infurgo: *Matrimonium inter propinquas personas, non verò inter extraneas celebrari debere omnes gentes agnoverunt; apud Judæos enim inter alienigenas conjugium prohibitum erat: unde cum Samson vellet uxorem Philisthæam accipere, dixerunt ei parentes, c. 14. Judicum, vers. 3. Nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthæis, qui incircumcisi sunt?* Et apud Romanos connubium cum peregrinis non erat. Ulpianus in fragm. tit. 5. Boetius ad Topica Cicer. Seneca lib. 4. de benef. *Promisi tibi filiam in matrimonium, postea peregrinus apparuisti, non est mihi cum extraneo connubium.* Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 6. *Libertinis verò nullo jure uti prætextis licebat, ac multò minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo.* Illustrat Briffonius de ritu nupt. fol. 116. Ergo non rectè matrimonium prohibetur inter personas sanguine conjunctas. Augetur hæc difficultas ex eo, nam etsi inter aliquas personas propter naturalem reverentiam, & necessitudinem nuptiæ prohibeantur, non tamen ita largè, ut usque ad septimum gradum matrimonium inhibeat. Matrimonium enim inter propinquos lex divina vetat, inter cognatos non vetat: itaque Moses non scripsit: *Ne quis ad cognatum;* sed hoc modo, *Ne quis ad propinquum suæ carnis accedat.* Similiter etiam apud Athenienses idem observabatur, ut refert Terentius in Phormione, ibi: *Lex est, ut orbi, qui sunt genere proximi, his nubant, & illos ducere eadem hæc lex jubet.* Et in ADELPHO, ibi: *Hæc virgo orba est patre, hic meus amicus illi genere est proximus, huic leges cogunt nubere hanc.* Itaque propinquorum matrimonium, nec lex divina prohibuit, unde legitur Genesis cap. 24. Abrahamum Isaac filio summo studio quaesivisse uxorem ex cognatione, & gente sua, Rebecca scilicet Labani sororem, qui Nachoris fratris Abrahami erat nepos. Et cap. 28. ejusdem libri, legitur Isaacum Jacob in Mesopotamiam misisse, ut inde uxorem ex sua cognatione duceret, duxitque Rachelem Labani avunculi sui filiam: immò lege lata cap. ult. Numer. aperte cavebatur, ut puella hæres in paterna tribu &

5. impugnetur tradita assertio.

cognatione nuberet; & jure civili Romanorum cum in nuptiis, quod honestius est, semper attendatur, l. *semper*, ff. de *rii nupt.* inter consobrinos conjugia permittebantur, l. *3. l. non solum* 67. §. 1. ff. de *rii nupt.* l. *uter* 23. cum sequent. ff. de *condit. instit.* l. *Lucius* 78. ff. ad *Trebel.* immo Ecclesia in Concilio Epaun. i. *can.* 4. Parisiensi *can.* 14. Turon. 2. *can.* 22. quorum verba dedi supra in *cap.* 1. matrimonium tantum prohibet in secundo Consanguinitatis gradu: ergo non recte in presenti usque ad septimum gradum matrimonium inter consanguineos inhibetur.

6.
Consanguinitatis
diffinitio.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est praesens assertio, pro cujus expositione, & plena totius tractatus de consanguinitatis impedimento ex utroque jure expositione sciendum est, consanguinitatem nihil aliud esse, quam vinculum personarum ab eodem stipite descendendum, carnali propagatione contractum, ut post D. Thomam in 4. *distinct.* 40. q. *unic.* art. 1. docent Sanchez *lib.* 7. de *matrim. dispnt.* 50. *num.* 1. Basil. eod. *tract.* *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 1. et si aliter eam diffinit Covarr. de *matrim.* 2. p. *cap.* 6. §. 6. *num.* 1. Dicitur consanguinitas, *vinculum*; quia naturalis sanguinis vinculo consanguinei copulantur, l. *vel si* 12. ff. de *manumis. vindict.* l. 2. ff. *unde cognat.* l. *qui in adoptionem* 23. ff. de *adopt.* Et quamvis ferè semper consanguineorum appellatio in jure civili accipitur pro fratribus ab eodem patre progentis, l. 4. ff. *unde cognati*, l. 2. §. *agnati*, ff. de *suis & legitimis*, l. 1. ff. de *legitim. tut.* l. 3. C. eod. *tit.* §. 1. §. *ceterum*, *Instit.* de *legit. agnator. succes.* observant Cujac. *lib.* 11. *obs.* *cap.* 26. Concius *lib.* 1. *success.* c. 6. *num.* 4. Brissonius d. v. s. verbo *Consanguinei*, Tiraq. de *retract.* §. 1. *glos.* 9. *num.* 4. tamen in hoc tractatu consanguinei nomen latius accipitur, scilicet pro omnibus, qui sanguine inter se junguntur, l. 1. §. *consanguineos*, ff. de *suis & legitimis*, Covarr. d. §. 6. *num.* 2. & in hoc sensu accipitur in l. 1. C. de *imponend. lucrativ.* *descript.* *lib.* 10. teste Cujac. *lib.* 15. *obs.* *cap.* 36. & in l. 1. C. *Theodos.* de *legit. hered.* & apud Virgil. ibi:

Illi me comitem, & consanguinitati propinquum.
Et sic apparet, consanguineos à cognatis non differre; nam licet cognatio strictius sumpta, descendentes tantum ex foeminis comprehendat, l. *inter* 5. ff. *unde legitimi*, l. ult. §. 1. ff. de *grad.* ex vera tamen vocis significatione comprehendit etiam descendentes ex masculis; quippe cognati ex eo appellati sunt, quasi ex uno nati, & quasi commune nascendi initium habuerint, l. 1. in *princip.* ff. *unde cognat.* l. 4. §. 1. §. de *gradibus*; notant Tiraquel. *ubi supra*, n. 11. Hothom. in *disp.* de *gradibus*, à n. 1. Petrus Greg. *lib.* 9. *syntagm.* c. 8. Bellarminus *lib.* 1. de *matrim.* c. 24. Dicitur, ab eodem stipite; quia si à remoto stipite descendant, consanguinei non sunt, alioquin omnes homines consanguinei forent, cum ab Adamo descendant; sed dicuntur consanguinei, qui ex eodem propinquo, & proximo sanguinis genere proveniunt, l. *cum pater*, §. à te peto, ff. de *legat.* 2. l. *audum*, ff. de *contrahend. empr.*

7.
De lineis
& gradibus
consanguinitatis.

Deinde sciendum, consanguinitatem ex stipite, limitibus, lineis, & gradibus constare, l. *penult.* ff. de *gradibus*: dicitur stipes, caput, seu initium cognationis, unde ceteri derivantur; limites vero dicuntur, quia sanguinis viam, cursumque inter cognatos ostendunt, ducta similitudine à limitibus agrorum, isti autem sunt alii recti, alii transversi. In recto limite duæ sunt lineæ, altera ascendendum, altera descendendum: in transverso, una tantum collateralium, qui nec ascendentes, nec

descendentes ejus sunt, de cujus cognatione agitur, sed ab eodem stipite originem ducunt, d. l. *penult.* quo in sensu linea cognationis dicitur in l. 9. ff. de *gradibus*, à D. Gregor. *lib.* 12. *epist.* 21. ibi: *Aut infra affinitatis lineam.* Ivone *epist.* 5. *Regius* in excellenti *vestra sanguis ex utraque linea descendens.* Notat Bosquetus *lib.* 2. *regestr.* 14. *epist.* 202. Item tota series cognatorum dicitur arbor, in qua est truncus, & rami, qui egrediuntur ex eo, ut patet ex *can.* *series* 1. 35. *quasi.* 5. *Filius*, ait D. Iliodorus, & filia, quod & frater, & soror sit, ipse truncus; illis *seorsim* se junctis ex radice illius rami egrediuntur isti ramusculi, nepos, neptis, &c. Quamquam sunt aliaæ duæ rationes, propter quas tota cognatio dicitur arbor consanguinitatis, vel affinitatis. Prima est, quia primi homines olim credebantur nati ex quercu, vel aliis arboribus, ut patet ex Lyco-phronte in *Callandra*, ubi vocat homines, id est nepotes quercus. Et Virgilius 8. *Aeneidos*, ibi: *Hac nemora indigena Fauni, Nymphæq; tenebant, Gensq; virum truncis, & duro robore nata.*

Et ratio est, quia cum arbores olim pro domibus essent, ibiq; parerent foeminae, inde fides & opinio illam sobolem ex illis arboribus fuisse natam, optime notavit Interpres Homeri. *Parentis foemina ver sabauit in montibus, sub cavis rupium & quercuum; qui vero invenerunt, putabant inde gentem sobolem.* Et confirmatur ex Statio *lib.* 4. *Thebaidos.*

— *Nondum arva, domusque, nec urbes, Connubisque domus. Quercus, laurique, ferebant Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit Fraxinus, & feta viridis puer excidit orno.*

Denique propter has Romanorum lineas dicimus lineam generis conjugii, in l. *jubemus* 5. C. de *emancip. liberor.* & lineam sanguinis, in l. 4. C. de *donis vacant.* & lineam ascendentem, vel descendentem, in l. 2. C. de *legit. hered.* lineam maternam, in l. *sancimus* 11. C. *communis de succes.* linea vero est ordinata collectio personarum ab uno principio procedentium, diversos gradus continens: gradus vero dicuntur mensuræ distantium personarum, quibus cognoscitur quotà agnationis distantia duæ, pluresque personæ distent; sic dicti ad similitudinem scalarum, l. *ult. vers.* *gradus*, ff. de *gradibus*, Ovid. *lib.* 3. *Metamorph.* ibi: *Totidemq; gradus distamus ab illo.*

Et secundo Fastorum:

Generis dinumerare gradus.

Succedit computatio graduum utriusque lineæ, circa quam observanda sunt regulæ propositæ superiori commentario. Prima est, quod in linea recta, quæ ex parentibus, & liberis constat, tot sunt personæ, demptâ unâ, c. 2. *gradu* 35. q. 5. consonat lex *3. ut.* 6. p. 4. Explicat Duarenus ad *tit. solut. matrim. tit. de nupt.* c. 3. Cujac. ad *hunc tit.* Covarr. d. §. 6. n. 7. Sanchez *disp.* 50. n. 4. Nec contrarium docetur in d. c. *primo gradu*, dum dicitur, primo gradu superioris lineæ poni patrem, & matrem; unde videtur probari, patrem & matrem constitutæ primum gradum. Nam respondetur, in eo textu, patrem, & matrem numerari, quia gradus constat ex duobus extremis; pater constituit extremum superius primi gradus, filius vero extremum inferius ejusdem gradus: & ita utrumque; scilicet patrem & filium, primum gradum constitutæ. Quæ interpretatio aperte probatur ex §. 1. *Instit. de gradibus*, ubi ait Justinianus, primo gradu esse supra patrem matrem, infra filium filiam, significans patrem, & filium esse duo extrema, videlicet superius, & inferius, ex quibus extremis primus gradus constituitur. Secunda regula est, quod in linea transversali jure

8.
De computazione
graduum
ex utroque
jure.

jure Canonico personarum, quarum gradus quaruntur, quoto gradu distant a communi stipite, eodem distant inter se; quare duo fratres sunt in primo gradu, quia in eodem distant ab stipite, hoc est parente. Jus verò civile in hac linea ascendit sursum, & descendit deorsum; & ita tot facit gradus, quot sunt generationes, §. *penult. Insti. de gradibus*. In linea transversali inæquali servanda est tertia regula, quam superiori Commentario dedi. Illud tamen notandum est, computationem canonicam esse observandam in nuptiis, beneficiis ecclesiasticis, capellaniis collativis, & aliis similibus rebus ecclesiasticis; in hæreditatibus verò, fideicommissis, cæterisque aliis successio-nibus computationem civilem esse observandam, ut plures casus inde resolventes, docuerunt Garcia de beneficiis 7. p. cap. 16. à num. 25. Cevallos *communum* q. 398. Gratianus 1. tom. *discept. cap. 77. Matienzo in l. 7. gloss. n. 7. tit. 11. lib. 5. Recopil. Azeyedo in l. 11. cod. inul. & lib. Mieres de majori. p. 2. q. 7. à num. 1. Parlador. differ. 109. à num. 16.*

9. Sequitur, ut de prohibitione nuptiarum inter confanguineos agamus; & quoad primum gradum lineæ rectæ, conjugium patris cum filia, seu matris cum filio, quod monstro simile dixit Seneca tragicus in *Oedipo, action. 3. in Agam. act. 5.*

Frares sibi ipsi genui implicium malum

Magisque monstrum sphyngæ perplexum sua: non solum scripta lex, sed etiam naturalis ratio animis nostris divinitus indita execratur, idque præcipue apparet ex eo quod

Fora quoque ipse veneris evitent nefas,

Generis que leges inscius servet pudor.

Ut de camelis, equis, elephantibus & aliis nar-rant Aristoteles lib. 9. *histor. anim. cap. 47.* Elianus *cod. tract. lib. 4. & 5.* Varro lib. 2. *de re rustica. cap. 14.* Plinius lib. 8. *histor. cap. 42.* & ex eis referunt Tiraquel in l. 7. *comub. Lyra ad D. Paulum in epist. 5. ad Corinth.* Petrus Greg. lib. 9. *syntagm. cap. 12.* Anonymus contra *Aachiavel. lib. de consilio. fol. 42.* Grotius de *jure belli lib. 2. cap. 5. num. 13.* Unde in his conjunctionibus primi gradus lineæ rectæ incestum jure gentium committi ait Paulus in l. *final. ff. de ritu nupt.* Cujus criminis veniam lexus infirmitate sceminas petere non posse, scribit Papinianus in l. *si adulterium 38. §. 1. vers. Quare. ff. ad l. 7. ul. ad adult.* cum naturalis juris, utpote non scripti, sed nati ignorantia defendi nequeat, l. *auxilium 37. ff. de minor. l. 7. ff. de jur. & facti ignor. nec enim lexui, seu rusticitati in his parcitur, à quibus naturalis ratio animis nostris divinitus indita avocatur, l. 2. C. de in jus vocando. Nec interest, an ex iustis nuptiis, vel iniustis hujusmodi personarum conjunctio descendat, l. *libertinus 8. l. adoptivus 14. §. 2. l. & nihil 54. ff. de ritu nupt.* adeo ut & serviles cognationes in hac prohibitionem contineantur: pudoremque esse à patre filiam quomodocumque quæsitam duci, docetur in l. *adoptivus 14. ff. cod. inul.* Illustrant Brissonius de *jure connubior. pag. 53. vers. Tempus est.* Cujac. ad tit. C. de incestis nupt. Petrus Greg. lib. 9. *syntagm. cap. 9. num. 29.* Faber in *jurisprud. tit. 4. princip. 6. illar. 3.* Nec juvat dicere, quod gentes quamplurimæ esse ferantur,*

In quibus & nato genitrix, & nata parenti

fungitur, & pietas geminato crescit amore.

Quarum Catalogum texerunt Philo de *legibus Mosæ.* ubi de Peris ait, honoratiora Persæ cum matribus contrahere matrimonia, & natos

D. D. Gonzal, in *Decretal. Tom. IV.*

inde arbitrantur nobilissimos, Lucanus lib. 8. *Carullus ibi.*

Ex matre & nato magnus nascatur oportet,

Impia Persarum est si vera religio.

D. Hieronymus lib. 2. *ad Jovinianum.* Arnobius lib. 8. *adversus gentes.* Cæsar lib. 5. *de bello Gal.* Alex. ab Alex. lib. 1. *diar. gemal. cap. 24.* Cælius Rhodiginus lib. 8. *lect. cap. 18.* & ex eis referunt Tiraq. in l. 7. *comub. gloss. l. n. 38.* Covarr. 2. p. *de marr. cap. 6. §. 10. num. 4.* Arnifens lib. 1. *de rep. cap. 1. sect. 2.* Germo-nius lib. 1. *animadv. capite 16.* quia has omnes gentes præpstero abusu, & prava consuetudine naturæ jus violasse, non mutasse constat. Ad eodem jure naturæ matrimonium in hoc primo gradu lineæ rectæ prohibetur, ut nullam ob causam, quantumcunque publicam possit in ea Summus Pontifex dispensare. Sanchez de *marr. lib. 7. disp. 51.* Basil. *cod. tract. lib. 7. c. 31.* Trullenche *cod. tract. c. 9. dub. 7.* nam super his, quæ jure naturali, & divino proveniunt, dispensare etiam Summus Princeps non potest, c. *sunt quidam 25. q. 1.* facit Cicero lib. 3. *de Rep. ibi.* *Hinc legi nec abrogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet.* Quam laudat Lactantius Firmianus lib. 6. *de vero cultu Dei. c. 8.*

Hæcque egimus de primo gradu lineæ rectæ, nunc examinandum venit, utrum inter omnes adscendentes, & descendentes in infinitum prohibi-tum sit matrimonium a jure divino, & naturali?

In qua questione pars affirmativa, videlicet prædictam prohibitionem locum habere in omnibus ascendentibus, & descendentibus in infinitum, probatur primò, quia non si licet filia contrahere cum patre, propter reverentiam, ut suprà diximus, multò minus licebit cum avo, & aliis ascendentibus, quia eis debetur major reverentia, quanto antiquiores sunt. Secundò probatur ex l. *nuptia 53. ff. de ritu nupt.* ubi Gajus Jureconsultus ait: *Inter eas personas; que in numero parentum, liberorumve sunt, usque in infinitum matrimonium prohiberi.* Quod idem tradit Imperator in §. *inter eas, Insti. de nupt.* Tertiò probatur, nam propter impotentiam generandi, raro, aut nunquam proavia erit apta ad generandum, cum ad statum, in quo generare nepos possit, pervenerit: sed quodcumque datur impotentia naturalis ad conjugalem actum; matrimonium est nullum; ergo Facit tandem textus in l. *ult. ff. de ritu nupt.* ubi Paulus ait; *jure gentium incestum committere, qui ex gradu ascendentium, vel descendentium uxorem duxit.* Quam sententiam defendunt post D. Thomam 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. Scotus, Duarenus & Paludanus in 4. *dist. 40. in princip.* Sylvester in *summa, verbo Matrimonium.* Navarr. in *manuali, c. 22. n. 34.* Covarr. in 4. *dist. 2. p. c. 6. §. 10. n. 4.* Basil. lib. 7. *de marrim. c. 31. n. 4.* Tamen alii negativam opinionem defendunt, videlicet lege divina, & naturali non prohiberi matrimonium ultra primum gradum ascendentium, & descendentium, ut probari videtur ex D. Thoma in 4. *dist. 40.* & Cajetano 2. 2. q. 154. art. 3. quæ sententia probatur ex eo, nam si hæc prohibitio protraheretur ad omnes descendentes, eam non omitterent sacri canones, argumento textus in l. *in em apud Labeonem 15. §. 26. de injuriis, ibi:* *Ea enim, quæ notabiliter sunt, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta.* Nec in distinetè diceret Pontifex in c. *non debet, hoc tit. ul.* impedimentum hoc ultra quartum gradum non extendi. Præterea facit ea ratio, nam confanguinitas consideratur ut radix, & fons amicitia: sed hæc inter ascendentes nimium distantes evanescit: ergo

10.

De aliis

gradibus

ejusdem

lineæ.

non eſt ratio, cur conſanguinitas in infinitum attendatur. Sed inter has ſententias media eligenda eſt, videlicet jure divino, & naturali prohiberi matrimonium in ſecundo gradu, hoc eſt inter avum & neptem, jure verò poſitivo uſque ad quartum gradum, quia, inter eas perſonas verſatur ratio prohibitionis, ad alias tamen non extenditur, quia evaneſcit inter conſanguineos remotos ratio illa, quæ inter propinquos conſideratur: quam diſtinctionem adduxerunt Soto *d. q. unic. art. 3.* Barthol. à Ledelma *de matr. d. diffi. 37.* Nec tunc obſtat dicta lex nuptia, *ff. de ritu nupt.* ubi inter eas perſonas, quæ parentum loco habentur, matrimonium prohibetur in infinitum. Nam ea prohibitio non eſt juris naturalis, ſed juris civilis poſitivi, quæ ab Eccleſia limitata eſt ad quartum gradum. Nec obſtat dicta lex ultima, *ff. de ritu nupt.* nam reſpondendum eſt, ibi Paulum non aſſerere, jure gentium in omnibus gradibus lineæ rectæ uſque in infinitum prohiberi matrimonium, ſed tantum ex jure civili: & cum docet jure gentium inceſtum committi omiſit ea verba, *uſque in infinitum*, ut oſtenderet, jure gentium non omnes gradus comprehendere, ſed tantum eos, in quibus naturalis ratio viget.

II.
De linea
transverſali.

In linea verò tranſverſali conſanguinitatis non levior quæſtio eſt, an ſaltem in primo ejus gradu prohibitum ſit matrimonium; plerique enim Doctores non levis authoritatis exiſtimarunt, jure naturali nuptias inter fratres prohibitas, & irritas eſſe. Pro qua ſententia primò expendantur textum in *cap. gaudemus in princip. de divorciis.* ubi docet Innocentius, infideles ad fidem converſos non eſſe ſeparandos à matrimonio contracto in ſecundo, & ulterioribus gradibus conſanguinitatis; & ita à contrario innuere videtur, aliud obſervandum eſſe in primo gradu, quia in eo jure naturali prohibetur matrimonium. Secundò facit textus in *cap. 20. Geneſis*, relatus in *cap. ult. 22. q. 2.* ubi refertur, Abrahamum, ut celaret Saram eſſe uxorem ſuam, ſimulaſſe, & dixiſſe eſſe ſororem; quali compertum genti illi barbaræ intelligens, illam quæ ſoror eſſet, non poſſe fratris uxorem eſſe; & ideò cum Rex cognovit Saram uxorem eſſe, ſtatim naturali lumine motus credidit ſororem non eſſe, ut advertit Soto in *4. diſtinct. 40. q. unic. art. 4. column. 4.* Tertiò pro hac ſententia expendi ſolent textus in *l. cum qui 19. C. de Epiſcopis & clericis. cap. penult. de cohabit. clericis. cap. penult. verſ. præterea, de præſumpt.* ubi permittitur clericis habitare cum matre, filia, & ſorore, ex ea ratione, quia inter has perſonas naturale fœdus non ſinit aliquid ſcævi criminis ſuſpicari; quæ ratio non parum ſuadet inter has perſonas jure naturali matrimonium eſſe prohibitum. Quibus & aliis fundamentis moti hanc ſententiam docuerunt Soto *ubi ſuprà*, Covarr. *d. cap. 6. §. 10. num. 15.* Bellarm. *lib. 1. de matrim. cap. 28.* Victoria in *reſc. de matrim. 2. p. Abulenſis in cap. 18. Levit.* Joannes Major in *4. diſtinct. 40. q. 3.* Barthol. à Ledelma *de matrim. difficult. 38.* plures, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 7. de matr. diſp. 52. n. 11.* Araujo *de ſtan. civili diſp. 11. q. 2. ſect. 2.* Valquez, Bonacina, Ochagavia & alii apud Leandrum *de matrim. diſput. 13. q. 9.* Sed licet hanc ſententiam valde probabilem eſſe cognoſcam, contrariam tamen ut probabiliorẽ amplector, quàm docuerunt D. Thomas *d. q. 154. articul. 9. in ſolut. ad 3.* Alex. de Alex. Scotus, & alii relati à Sanchez *d. diſp. 52. n. 10.* Germonius *lib. 1. animadv. cap. 16.*

Bafil. *lib. 7. de matrim. cap. 32. à num. 3.* Grótius *de jure belli lib. 2. cap. 5. num. 13.* Coninch. *diſp. 32. dub. 1.* Perez *de matrim. diſp. 28. ſect. 5.* Cajetanus in *d. arr. 9. D. Thom. Richard. & Paludanus in 4. diſtinct. 40. q. 2.* Ferdinandus Loazes in *tract. de matrim. Regis Angliæ, Hurtado de matr. diſp. 17. difficult. 5.* Leander *de matrim. diſput. 13. q. 9.* Quæ ſententia non levioribus nititur fundamentis; primò enim retorquetur locus Geneſis *d. cap. 20.* ubi cum Abimelech ſe deceptum deprehenderet ab Abrahamo, qui antea confeſſus erat Saram ſororem ſuam eſſe, interrogavit Rex cauſam celandæ veritatis: cui reſpondit Patriarcha, id feciſſe, dum ſuſpicaretur in eo loco non eſſe timorem Dei, & ne metus cauſam mentitus crederetur, addidit: *Alias autem, & verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris mee; & duxi eam in uxorem.* Qui locus adeò eſt expreſſus pro hac ſententia, ut immeritò eum effugere contendant DD. contrariæ ſententiæ, contententes Saram non fuiſſe veram ſororem Abraham, ſed filiam patris ſui Aram, ut teſtantur D. Auguſtinus in *cap. ult. 22. quaſt. 2.* & plures citati à Sanchez *d. diſp. 52. n. 24.* Covarr. *d. §. 10. num. 16.* ubi advertit, in ſacris litteris valde uſitatum eſſe, maxime propinquos fratres, & ſorores appellari, quo in ſenſu fratres Domini dicuntur *cap. 12. Matthei, ad ſinem*: variis testimoniis adductis illuſtrat Baronius in *apparatu ad annales, num. 77.* Sed licet hæc interpretatio propter authoritatem D. Auguſtini admitti poſſet, verius tamen eſt quod docent D. Hieronymus in *quaſtionibus Hebraicis in Geneſin*, Clemens Alexandrinus *lib. 2. Stromatum, cap. 12.* ſcilicet Saram veram fuiſſe Abraham ſororem; quorum ſententiam aperte probant ſuprà relata verba, ſi planè, ac ſimpliciter accipiantur, ut accipi debent. Secundò pro hac ſententia facit locus libri 2. Regum, *cap. 13.* ubi cum Ammon impatientiã amoris, & ardore auctus, pudicitiam ſororis ſuæ Thamar attentaret, ut ipſa eum à facinore perpetrando diſſuaderet, dixit: *Noli frater opprimere me, loquere potius ad Regem, qui non negabit me tibi.* Quæ verba fruſtra proferret Thamar ſi conjugium inter eos conſiſtere non poſſit jure naturali. Nec hujus loci vim effugiunt, qui exiſtimant Thamar id dixiſſe cauſa illudendi juvenis inſanientis; hæc enim interpretatio aperte convincitur ex verbis ſequentibus, ibi: *Majus eſt hoc malum, quod nunc agis adverſus me, expellens me.* Quæ verba non obſcurè ſignificant, Thamar poſt pudicitiam violatam voluiſſe ut uxorem à fratre retineri. Tertiò pro hac ſententia facit Concil. Agathenſe relatum in *cap. de inceſtus, 35. q. 3.* ubi inter alias inceſtuofas conjunctiones prohibet, ne frater germanam ſuam accipiat uxorem: & *in verſ. Quod ſi*, concludit, *ſe non diſſolvere anteæ ſecus celebrata conjugia, ut pote præcedente Pontificis veniã.* Quibus ſanè verbis aperte oſtenditur, omnia matrimonia, in illis ſaltem gradibus expreſſè prohibitis valere poſſe, alioquin illos ſic conjugatos in lethali culpa vivere ſinceret, quod nemo affirmavit. Eandem ſententiam firmarunt Concilium Epaun. *can. 30.* Concil. Aurel. *4. can. 27.* Turon. *2. can. 22.* Tandem hæc ſententia non parum juvatur ex communi uſu multarum gentium prudentiã pollentium, quæ cum inter fratres conjugia permitterent, ſatis innuerunt,

id à natura non multum abhorre; immò in ipso mundi exordio, si jure naturali tales nuptiæ exoræ essent, Deus plures masculos & foeminas creasset, ne cogerentur fratres cum fororibus matrimonium contrahere. Quod autem apud plures gentes similia conjugia recepta fuerint, constat: nam Ptolemeus Philadelphus Aegypti Rex sororem duxit uxorem, juxta morem ipsius nationis. Alex. ab Alex. lib. 1. *diar. genial. cap. 24.* & lege apud Assyrios lata licuisse matrimonium inter fratrem, & sororem, referunt idem Alexander, & Plutarchus in *Ariag. Justinus lib. 11.* & de Peris, Atheniensibus & aliis idem probant Tiraq. in *notis ad Alexand. ubi supra, & leg. 7. connub.* Cajetanus in *lib. de sacrif. immò inter Deos similia connubia dari finxerit Poetæ; & ita Jovem cum Junone sorore sua matrimonium contraxisse, & Saturnum Ream sororem in uxorem accepisse, prodant Virgilius lib. 1. *Æneid.**

Est ego, quæ Deorum incedo Regina, Jovis quoque Et soror, & conjux.

Horatius lib. 1. *carmin. od. 3.*

Conjuge me Jovis, & sorore.

Ex eis refert D. Augustinus lib. 15. *de Civit. Dei, cap. 16.* de quibus etiam Seneca aiebat: *Matrimonia Deorum jungimus, & ne pie quidem fratrum scilicet & sororum.* Apud Gentiles Dii matrimonii copulabantur. Arnobius lib. 2. *adversus Gentes: Vxoribus Dii habent, atque in conjugalia foedera conditionibus veniunt, ante quas hi farre, coemptione, &c. plura P. Pinto in spicil. tract. 1. cap. 31.* immò & jus trium liberorum impetrabant, ut illis non obesset lex Papia. Diocassius lib. 55. *Lact. Firmian. lib. 1. de falsar. relig. cap. 16.* *Quid ergo est, quare apud Poetas fallacissimos Jupiter liberos tolleret? Virum sexagenarius factus est, & illi lex Papia sibiulam imposuit? an impetravit jus trium liberorum?* Deinde probatur hæc sententia ex l. si stipulator 35. ff. de verb. obl. ubi docet Paulus, matrimonium inter fratres jure tantum civili, non verò naturali esse prohibitum, sumpto argumento ex principio ejusdem legis, ubi postquam proposuit casum, in quo quis stipulatur quod natura fieri non concedit, idque exemplis exposuit, in *versic. item quod, prosequens speciem, in qua quis stipulatur quod leges fieri prohibent, & perpetuam causam prohibitionis habent, ponit exemplum in eo qui sororem sibi in uxorem futuram stipulatur, innuens hoc exemplum primo casui non convenire: igitur quia sororem in uxorem ducere jure naturæ non est omnino prohibitum. Rursus, nam in hoc matrimonio cessat ratio, quæ irritat jure naturæ conjugium inter patrem, & filiam, cum inter fratres non repugnet æqualitas, cum unus alteri subjectionem, aut reverentiam non præstet, quam filia patri exhibere cogitur. Facit Æmil. Probus, ibi: *Simoni non fuit turpe Atheniensium summo viro sororem germanam habere in matrimonio; quippe cum civis ejus eodem uterentur instituto. At id quidem nostris moribus nefas habetur.* Accedit, nam si tale conjugium à jure naturali irritaretur, non posset Pontifex in eo dispensare gradu, *cap. sunt quidam 25. q. 2.* sed consuevit Pontifex dispensare in eo gradu, ut fecisse Martin. V. & alios Romanæ Ecclesiæ Præsules, referunt Cajetanus in *opusculo de matrim. Regis Angliæ, Sylvestri in summa, verbo Papa, q. 17.* licet falsò id re-*

feratur de Emmanuele Rege Lusitanie, qui Mariam duxit uxorem, non sororem, sed prioris uxoris sororem, ut refert Spondanus *anno 1496. num. 6.*

Quibus fundamentis motus adhæreo huic sententiæ, videlicet matrimonium inter fratres naturales ex se non esse naturali juri contrarium, licet pudori naturali non conveniat: unde Plauto lib. 9. *de legibus*, talia conjugia minime pia, sed Deo invida esse dixit: & in *cap. 27. Deuteron.* ubi proponuntur maledictiones adversus eum, qui nefarias contrahit nuptias, legitur maledictio contra accipientem sororem in uxorem; ideoque inter ea, quæ de Caignula, non ut Principe, sed ut monstro Sueton. narrat, hoc refert lib. 42. *cap. 24.* quod cum omnibus fororibus suis stupri consuetudinem fecit, cum etiam Drusillam germanam Cassio Longino Consulari collocatam abduxisset, & in modum jultæ uxoris propalam habuisse scribit. Quam ejus turpitudinem nec Dio lib. 59. silentio prætermittit: eademque se, ac famam suam turpitudine foedasse Othonem Xiphilinus memorat. Plutarchus autem in *parallelis ex Chrylippo lib. 1. rer. Italic.* author est, Papirium quemdam Romanum amoris impatientia, & ardore victum, Camiliam sororem gravidam fecisse: quod ubi eorum pater rescivit, enfem filiam misit, quo puella pectus transfodit, eodemque lethi genere scelestum ac nefarium facinus suum Papirius deinde expiavit. Nec obstant fundamenta contrariæ sententiæ. Non primum, ex *d. cap. gaudemus, de divor.* nam ipse Sanchez *d. disput. 52. num. 11.* non invitatus faceret hunc locum parum urgere; quippe Innocent. III. ibi, dum prodiit matrimonia inter infideles initia in secundo & ulterioribus gradibus consanguinitatis, dissolvenda non esse, tantum questioni sibi propositæ de his gradibus respondet: de primo verò gradu, nec negat, nec diffinit, ut rectè advertit Basilus *d. cap. 32. num. 13.* Minus obest secunda objectio petita ex *Genesi d. cap. 20.* nam respondeo, simulationem Abrahami non inutilem fuisse, dum Saram suam sororem appellavit; id enim rectè fecit, quia licet aliquando inter fratres matrimonia contraherentur, non ita tamen frequenter, ut statim de quibusvis conjunctis facile id suspicari posset. Tandem non obstant textus in *d. l. cum qui 19. C. de Episcop. & cler. c. penult. de præsumpt. caps. penult. de cohabit. cleric.* Nam et si hæc jura clericis permittant habitare cum matribus & fororibus propter naturale foedus, quod omnem suspicionem excludit; inde tamen non evincitur, matrimonium jure naturali prohiberi inter fratres; quippe etiam admitti oporteret in amita & aliis consanguineis, quos canones etiam cum clericis concedunt habitare, *cap. cum omnes 27. cap. feminas 31. dist. 81. cap. inter dixit, dist. 32.* cum aliis, de quibus latè Mendoza lib. 2. *Concil. Illiber. cap. 53. Germon. lib. 2. animadvers. cap. 18.*

Manet ergo, in primo gradu lineæ transversalis matrimonium jure naturali non prohiberi; De eodem primo gradu ex *cap. 18. Levit. vers. 9.* ibi: *Sororis tuæ nuditatem, sive illa ex utroque parente tuo sive ex patre tuo, ne detegito.* Et *cap. 20. vers. 17. & cap. 27. Deuteron. vers. 22.* de qua lege exaudiendus est Michael Ephesius ad *Quintum Nicomach.*

12.
Amplificatur hæc sententia.

13.

De eodem primo gradu ex lege divina & positiva.

ibi: *Fraternum cum sorore concumbere ab initio res media erat; at post legem adversus tales concubitus positam, multum refert observetur lex, nec ne.* Et etiam apud Romanos, & alias gentes primum moribus, deinde lege scripta prohibitum fuit conjugium inter fratres; quare Diodorus Siculus lib. 1. ait: *Communem hominum morem esse, ne fratres sororibus jungantur.* Et Aemilius Probus in Proemio, lib. de vita Excel. Imper. inquit: *Nec enim Simon sui turpe Atheniensium summo viro sororem germanam in matrimonio habere: at id quidem nostris moribus nefas habetur.* Plutarchus in Themist. Senec. de morte Claudii, junctis Turnebo lib. 18. advers. cap. 13. Passeratio ad Propertium, lib. 3. eleg. 11. unde obiter exponendus est textus in l. libertinus 8. ff. de ritu nupt. ubi ait Pomponius, libertinum libertinam matrem, aut sororem ducere non posse, ex eo, quia hoc jus moribus, non legibus introducum est: quæ ultima verba variè exponunt Interpretes. Hothom. lib. 3. observ. cap. 4. interpretatur, moribus, id est, legibus antiquis Romuli. Cujacius vocem sororem, ut Tribonianus rejicit, lib. 16. observ. cap. 37. hos sequitur Gothofredus ibi. Sed vera interpretatio, ni fallor, ex proximè traditis provenit; licet enim frequenter mores accipiantur pro jure civili, ut in l. 2. ff. de vulgari, l. parte 8. ff. de his qui sunt sui, l. more 8. ff. de acquir. heredit. notarunt Alciatus lib. 4. parerg. cap. 21. Forner. lib. 5. rerum quod. cap. 3. tamen in eo textu mores sanuntur prout sonant, pro moribus videlicet receptis apud varias gentes, non tamen apud omnes: quare jus gentium dici non possunt, ut etiam accipiuntur in l. sororis 39. ff. de ritu nupt. notavit Cujac. lib. 36. 99. Papi. in l. si adulterium 38. ff. ad l. Jul. de adult. unde habitabatur in d. l. libertinus, quia jure civili inter servos nulla cognatio, nullumque conjugii jus esse poterat, l. is qui, ff. unde cognati, l. ultim. vers. Non parcimus, ff. de gradibus. Paul. lib. 5. sentent. tit. 10. §. 1. an libertinus posset matrimonio jungi cum matre aut sorore, quasi cognatio tempore servitutis contracta non attenditur. Id tamen negat Pomponius ibi, & etiam Paulus in l. adoptivus 14. §. serviles, ff. de ritu nupt. & rationem dedit Pomponius, quia hoc jus moribus, non legibus fuit introducum, quasi dicat: Servus licet postquam manumissus est, novus homo credatur quoad ea, quæ sunt à jure civili inducta, l. servus 27. §. ult. ff. de adimend. legat. l. quires 89. §. arcam, ff. de solut. non tamen quoad ea, quæ à moribus gentium proveniunt, ut est cognationis, sanguinisque vinculum: & cum non solum Romanorum moribus, verum Atheniensium, & aliarum nationum prohibitum esset matrimonium cum sorore, ut supra probavi, servus dum in ipsa servitute erat, aut postea manumissus, sororem ducere nequibat; non tamen quia jure gentium inter eas personas incestus daretur, ut constat ex l. ult. ff. de ritu nupt. ubi si quis juris ignorantia ductus (cui jus ignorare liceat) nuptialibus facibus thalamum incestavit fororis, à pœna incesti liberari docetur, cum contrarium in incestu lineæ ascendentis observetur ex l. 38. §. 2. ff. ad l. Jul. de adult. quia videlicet in primo gradu lineæ ascendentis, incestus jure gentium committitur: ergo inter fratrem, & sororem illicita, nulla, incestaque nuptiæ jure civili & ecclesiasticâ disciplinâ judicantur, sive

ab eodem patre, eademque matre nati fuerint, sive ex altero eorum, l. & ubi, 54. ff. de ritu nupt. §. inter eas, Insti. de nupt. Cajus lib. 1. insti. tit. 4. §. 3. explosâ juris Attici differentia, cum sorore consanguinea nuptias permittentis, cum uterina improbantis. Minutius Felix in Octavio, ibi: *Athenis cum sororibus legitima conjugia.* Probat Samuel Petitus ad jus Atticum, lib. 6. tit. 1.

Disputavimus satis abundè de primo gradu lineæ transversalis: de reliquis nunc agamus. Et sanè illud certum est, nullo gradu lineæ transversalis matrimonium jure naturæ irritum esse, sed solum lege positiva, ut apertè definitur in d. cap. gaudemus, de divorciis. Nec in contrarium nos movere debet textus in cap. 18. Lovit. ubi etiam lege divina prohibentur matrimonia inter consanguineos in ulterioribus gradibus. Nam repudiata sententia asserentium, omnes gradus consanguinitatis prohibitos in lege veteri divina, hodie etiam vim habere, tanquam juris naturalis, dicendum est, excepto tantum primò, aut secundo gradu lineæ rectæ, cæteros gradus ibi prohiberi, non ex vi ejus legis veteris; quæ cum in ea parte judicialis, seu cæremonialis fuisset, sine dubio per adventum Christi cessavit, juxta tradita in cap. translato, de constitut. sed potius ex vi legis ecclesiasticæ hodie vetari, ut perinde rectè fiat, Pontifici licere in his dispensare; ut apertè definitum extat in Trideat. sess. 24. de matrim. can. 3. Docent D. Thomas 1. 2. q. 105. art. 4. Covarr. d. cap. 6. §. 10. à num. 1. Bellarm. d. lib. 1. cap. 27. à principio, Sanchez d. disput. 52. num. 6. & lib. 8. disput. 6. n. 11. Objici tamen solet textus in cap. litteras 12. vers. rescripto, de restit. spol. ubi apertè docetur, in gradibus consanguinitatis divina lege prohibitis Pontificem dispensare non posse: atquæ per gradus divina lege prohibitos, & in cap. quoniam, §. porro, ut licet non contest. cap. 1. 35. q. 2. non alii intelligi possunt, quam præscripti in d. cap. 18. Lovit. ut notat Glossa verbo Divina, in d. cap. litteras: ergo supponere videtur, gradus illos divinæ legis obligare nunc, non ex vi illius legis, nec etiam ex vi legis novæ ecclesiasticæ, sed ex vi juris naturalis, alioquin si ex sola legis ecclesiasticæ autoritate prohibitio hæc metiretur, aut æstimaretur, utique dispensare Pontifex posset, ex regula capitis proposuit, de concess. præbendæ. Sed respondendum est cum Glossa ibi, verbo Non potest, Navarro consil. 14. num. 8. de spons. Sanchez d. disp. 52. num. 8. Germonio d. lib. 1. cap. 16. textum illum sic esse accipiendum, ut Pontifex in illis gradibus dispensare non possit, id est, non debeat, nec expediat, alioquin si omnino non posset, frustra adderet textus, Pontificem non consuevisse in illis dispensare, quod dixit in honorem, & reverentiam legis divinæ, quam sicut Ecclesia justissimè renovavit, ita non consueverat frequenter tollere per dispensationem. Si cui tamen hæc interpretatio non planè satisfecerit, dicere poterit, sententiam dicti capitis litteras, in vers. rescripto, & in vers. opinioni, quæ cavetur, Pontificem non posse in gradibus lege divina prohibitis dispensare, non esse Pontificis, sed partis allegationem, quæ jus non constituit; & ideo in vers. non autem, ubi decisio continetur, etsi Pontifex mentionem habuerit graduum lege divina prohibitorum, non tamen adjicit, in

eis

14.
De aliis
gradibus
eiusdem
lineæ.

eis dispensare non posse: nisi forte velis cum Covarr. d. cap. 6. §. 10. num. 24. ea verba aliter accipere, cujus expositioni labens accedam. Secundò obijcitur textus in cap. de infidelibus, de consanguin. ubi tùm scribitur, secundùm legis veteris instituta matrimonio conjunctos separandos non esse post conversionem ad fidem, satis à contrario sensu innuitur, separandos fuisse, si contra illius legis præscripta essent conjuncti. Quo argumento assentire videtur Pontifex, adhuc illam legem hodie locum habere. Texuit hunc nodum solus Sanchez d. disput. 52. num. 8. ejus tamen solutione omisâ, dicendum est, immeritò argumentum à contrario sensu desumi ex sententia Pontificis ibi, quæ illa est, quod cùm Pagani in gradibus à lege veteri permissis, canonica tamen prohibitis copularentur, postea ad fidem christianam conversi separari non debent, ex eo, quod inspecto contractus initio licebat ita contrahere. Cum igitur Pagani ab initio legibus canonicis non ligarentur, ut latè prosequitur Tiraq. de primogen. q. 66. à num. 22. & ob id nuptiæ consisterent, nulla ex causa ex post facto nuptiæ semel legitime contractæ dissolvi debent, cap. gaudemus, in princip. de divor. cap. ult. qui filii sint legit. l. ultim. tit. 6. p. 4. faciunt caput 2. de cognat. spirit. l. 3. C. de interd. matrim. l. si qua 12. in princip. non solum 47. §. sed videamus, ff. de ritu nupt. explicant post antiquiores in d. cap. de infidel. Covarr. in d. §. 10. à num. 5. Cujac. d. lib. 25. obs. cap. 3. & nos latius dabimus in eodem textu, Gentilis de nupt. lib. 5. cap. 8.

15. *De eisdem gradibus ex iure positivo.* Ut ad prohibitionem juris positivi inter eosdem consanguineos accedamus, sciendum est, eam variam fuisse pro temporum diversitate, tam ex iure civili, quam canonico; & ut à vetustiori incipiamus, sciendum est, veteri iure civili, ut refert Ulpianus in fragm. tit. 16. §. inter parentes, & lib. singul. regularum, in collat. legum Mosaic. tit. de nupt. matrimonia usque ad quartum gradum prohiberi, postea verò sub Ulpiani tempore etiam ex tertio gradu uxorem ducere licuit, quod perperam suspectum affirmat Cujac. in notis ibidem: sed re melius perpensa, idem Cujac. lib. 23. obs. cap. 16. retinet eandem literam. In quarto autem gradu linear transverfalis, sive inæqualis, ita demùm nuptiæ permittentur inter consanguineos, si modò inter se nullam rationem quasi parentum, & quasi liberorum haberent; quales sunt patruus, avunculus magni, aut maximus, cum his enim nec in quinto gradu contrahere licebat. Unde patruus, seu avunculus, cum sororis, vel fratris, vel patruus filia, aut neptis, antiquitus legitime nuptias improbatas. Gajus lib. 1. instit. tit. 4. §. fratris, l. nemini 17. C. de nupt. l. final. C. de incestis nupt. l. 1. C. Theodof. cod. tit. l. sororis 39. l. etiam §. 6. cum l. sequent. ff. de ritu nupt. l. si adulterium 38. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult. l. avunculo, §. final. ff. de condit. causâ datâ; l. ult. si nuptia ex rescripto. Illustrant Cujac. lib. 13. obs. cap. 16. & lib. 11. q. 99. Papin. in d. l. final. ff. de condit. sine causâ, & lib. 36. in d. l. si adulterium, & ad tit. C. de incestis nupt. & lib. 35. Pauli ad edict. in l. 14. §. 2. ff. de ritu nupt. Panciroli lib. 2. variar. c. 274. Justus Lipsius ad Tacitum lib. 12. num. 13. Delrius ad Senecam in Octavio, nota 141. Pitheus in collat. legum Mosaic. tit. de nupt. Hothom. in disput. de nupt. tit. 1. pag. 502. Giphanius in l. 17. C. de nupt. Faber in jurispru. tit.

de nupt. princip. 6. illat. 6. 20. & 24. Donel. lib. 13. comment. cap. 19. Duarenus ad tit. solut. matrim. cap. 2. Brissonius de iure connub. pag. 279. Petrus Gregorius lib. 9. synagm. cap. 2. num. 13. Jacobus Gothofr. in opuscul. ad d. l. 17. C. de nupt. nam turbato naturæ ordine, saltem nominum religione, tali ex concubitu nati filii, & fratres unâ nascebantur, tanquam ex matrimonio inter patrem, & filiam improbè contracto; cùm patris nomen avunculi, & patruus jure convenire certo certius sit, l. per adoptionem 17. §. 1. l. sororis 39. ff. de ritu nupt. Catull. epigram. 112. ibi:

*Ausilena, viro contentas vivere solo
Nuptiarum laus è laudibus eximius.
Sed cuius, quamvis potius succumbere fas est,
Quàm matrem fratres effecere ex patruo.*

Cujac. in l. 14. §. 23. ff. de adopt. & lib. 35. Pauli ad edict. in l. 60. §. Lucius, ff. mandati: ubi fratris filius à patruo filius vocatur; observavit idem Cujac. lib. 9. obs. cap. 18. & filia fratris sororis nepos nuncupatur in cap. per tuas 10. de prob. cap. 7. hoc tit. cap. 1. de despons. impub. nam liberi ex eo concubitu suscepti suæ matri fratres, patruelæ, & liberi efficiuntur; natus enim ex patruo, seu avunculo, frater nominabatur. Gajus d. tit. 4. de nupt. §. fratres. Plura Savarus ad Sidorium, lib. 4. epist. 4. Similiter cum amita, id est patris sorore, sub incesti pœna nuptiæ prohibebantur, l. si qua 12. §. 5. l. per adoptionem 17. §. 2. ff. de ritu nupt. similiter & cum amita magna, & majore, & etiam cum matertera majori, magnave, d. l. 12. §. ult.

In hoc etiam tertio gradu illa magna differentia notanda est, videlicet, quod tantum licebat fratris filiam uxorem ducere, non etiam sororis filiam; quod patet ex l. etiam §. 6. l. qui in provincia 57. §. ultim. ff. de ritu nupt. l. si adulterium 38. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult. l. ult. ff. de condit. sine causâ. quod à Claudio Imperatore primùm cepisse proditum est, nam is Agrippinæ fratris sui germani amore hæcatus,

*Genitricem fratris conjugem captus sibi
Theoris nefandis stebili junxit fasce.*

Ut ajebat Lucius Seneca in Octavio, act. 1. Magis Semiramidis cum Nino displicet flagitium, cujus meminere Orosius lib. 1. cap. 4. Curtius lib. 7. quam veteris Romæ pudicitiam intuentes, cujus facti turpitudinem Senatusconsulti velamento textit, in posterum cum filiabus fratrum permissis conjugis, referunt Tacitus lib. 12. annal. ibi: *Claudius Senatum ingressus, decretum postulat, quo justè inter patrimum, fratrumque filias nuptia etiam in posterum statuerentur.* Suetonius in ejus vita, ibi: *Verùm illecebris Agrippinæ germani fratris filia, jus osculæ blanditiarum occasione allectus in amorem subornavit proximo Senatui, qui cogent se ad descendendam eam uxorem, quasi Reipublice interesset, dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, que ad id tempus injusta habebantur.* Eoque referendus est Ulpianus tit. 5. regul. §. 6. & apud Licinium Rufinum in collatione legum Mosaic. tit. de incestis nupt. & locus Capitolini in Antonio Philosopho: hoc autem Senatusconsultum per annos circiter 250. duravit, usque ad Constantini, & Constantis imperium, quo tempore sublata patruus, & avunculi differentiâ, nec fratris filiam, nec filiam sororis uxorem ducere licuit, ut constat

in l.

16.

De matrimonio cura filia fratris sororis.

in l. 1. C. Theodos. de incestis nupr. ubi illo jure nefario abrogato similes nuptias contrahentibus pœna capitis imponitur. D. Ambrosius epist. 66. l. 3. C. Theodos. de incestis nupr. l. final. C. Justin. eod. tit. Gothofredus in l. 1. C. Theodos. de incest. & in l. 3. Unde refellendi sunt Brissonius de jure connub. pag. 280. Duarenus ad tit. solut. matrim. cap. 2. qui existimarunt placitum Claudii, Senatusconsultumque ejus tempore factum, edicto Nervæ fuisse abrogatum; nam ut recte Lipsius ad Tacitum, d. nota 13. edictum Nervæ non de fratris filia; sed de filia fororis exaudiendum est; quem sequitur Hothomanus ubi supra. Sed ipsam Constantini, & Constantis constitutionem tempore, vel quod credibilis est, contemptu abolitam; iterum hominum libidine invalescente, in pristini nitoris observantiam restituit Zeno Imperator, cujus placito non libenter adstipulantes sequentes Cæsares, his conjugii legitimi connubii jura abnegasse credimus in l. ult. C. de incest. nupr. & in l. ult. C. si nupr. ex rescript. petant. Justin. §. fratris 3. Instit. de nupr. docuerunt Cujac. lib. 11. qq. Papin. in d. l. ult. ff. de condit. sine caus. & ad tit. C. de incest. nupr. Germon. lib. 1. animadv. cap. 16. Concilius lib. 2. successiv. cap. 1. n. 7. Brissonius de jure connub. pag. 59.

17.
De consobrinis.

Circa consobrinorum nuptias sciendum est, apud nonnullas gentes, eas permissas fuisse: nam Turnus, quem Rex Latinus, & ejus uxor Amata sibi generum desponderant, & Labinia eorum filia, consobrina erat, ut notavit Servius ad illud Virgillii 2. Aeneid.

Quid consanguinei Raruli.

Similiter apud Hebræos simile conjugium non fuisse prohibitum probat Hothom. in exemplis relatis Exodi cap. 6. Numer. cap. ult. Et Deucalion uxorem duxit Pyrrham patruelem; Tapetus enim duos sustulit filios, Prometheum, qui Pyrrham genuit, ex quo Ovidius lib. 1. Metamorphos.

Deucalion Pyrrham lachrymis affatur abortis,
O soror, & conjux, o femina sola superstes!

Quam commune mihi genus, & patruelis origo,
Deinde thorus junxit.

Alia exempla ex Genesi cap. 38. item ex Numer. cap. ult. ministrant Josephus lib. 12. antiquit. cap. 4. & lib. 18. cap. 11. & in hanc sententiam D. August. de civit. Dei lib. 15. ait: *Experti sumus, in connubiis consobrinorum, quam raro per morem fiebant, quod fieri per leges licebat; quia id neque divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana.* Hæc D. Augustinus, quamvis D. Ambrosius epist. 66. ad Paternum, de his nuptiis illum consulentem ita recribat: *Quid est, quod dubitari queat, cum lex divina etiam fratres & patruales prohibeat venire in conjugalem copulam.* Quod ad jus Romanorum attinet, antiquiore jure diu ignorata consobrinorum connubia fuerunt, abstinebantque Romani ab eis continentia potius, quam certa lege. Tacitus ita exaudiendus lib. 12. annal. ibi: *Sobrinorum diu ignorata conjugia, tempore adito percrebuerunt.* Unde legendum est, consobrinorum, ut legit Justus Lipsius ibidem. & probat Hothomanus in §. duorum fratrum, Instit. de nupr. & id demonstrat Livius lib. 25. nam apud eum spurius Ligustinus à patre accepit uxorem filiam fratris sui: & Cicero pro Cluentio, refert Cluentiam ritè nupsisse Marco consobriño suo: Brutus etiam uxorem duxit

Portiam consobrinam suam; utpote Catonis Uticensis filiam, cum ipse esset filius Serbilie sororis ipsius Catonis, ut refert Plutarchus in vita ipsius Bruti: & Marcus Antonius Philosopher, qui sanctitate vitæ omnibus præcelluit, Faustianam Consobrinam suam uxorem duxit, ut testis est Julius Capitolinus in ejus vita: & Suetonius in Augusto, & Dio lib. 53. memoriæ prædiderunt, Augustum filiam suam Juliam Marcallo Octavia Sororia suæ filio nuptui collocasse: & Quintilianus lib. 6. filium suum immaturâ morte sibi ereptum lugens; avunculo eum destinatum generum fuisse ostendit: justique matrimonii inter consobrinos passim apud Consultos mentio est, veluti in l. 3. & l. non solum 67. §. 1. de ritu nupr. l. uter 23. & sequenti, de condit. instit. l. Lucius 78. §. filium, ad Trebell. ac præsertim in l. 2. C. de instit. & substit. l. 4. C. de cond. instit. §. fratrum, Instit. de nupr. Hincque illa Ulpiani regula nata est, vulgò in jure tanquam per manus tradita, inter cognatos usque ad quartum gradum connubium non esse. Primus (ut opinor) Theodosius Magnus, & Major eas nuptias prohibuit anno 384. aut 385. ut ipsius filius testatur in l. ult. C. si nuptia ex rescript. petantur; nisi cum rescripto Principis celebrarentur, cujus rescripti forma extat apud Cassiodor. lib. 7. var. cap. 46. Itaque sextus Aurel. Victor. in epist. de Cæsar. ejus meminit, dum inquit: *Tantum pudori, & continentia tribuere, ut consobrinorum nuptias veteris tanquam fororum.* Et refert Paulus Diaconus lib. 12. ad Eutropium, D. Ambros. epist. 66. ibi: *Theodosius Imperator etiam patruales, fratres, & consobrinos vetuit inter se conjugii nomine convenire.* D. Augustinus lib. 15. de civit. Dei, cap. 18. *Veruntamen quis dubitet, inquit, honestius hoc tempore etiam consobrinorum conjugia prohibita esse, quia nescio quomodo inest humana verecundia quiddam naturale, atque laudabile, ut cuique debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat.* Constitutionem hanc Theodosii Arcadius, & Honorius ejus filio primi imperii sui anno, Christi 396. confirmarunt, ut patet ex l. 3. C. Theodos. de nupr. quam concisam, & mutilatam Tribonianus retulit in l. si quis, C. de nuptiis. Verùm ipsi Imperatores Arcadius, & Honorius, patris, & ipsorum abrogatâ constitutione, anno 405. consobrinorum nuptias approbarunt in l. celebrandis 19. C. de nuptiis; de cujus fide dubitant Concilius lib. 1. lect. cap. 9. Costanus de marrim. pag. 112. quæ rogata & edita fuit Stilicone 2. & Anthemio Coss. qui est annus 11. Imperii Arcadii, & Honorii, Christi Domini 405. Demùm Imperatores Honorius, & Theodosius eas nuptias, quasi communi jure damnatas, ex rescripto petendi facultatem fecerunt, l. unicus. C. Theodos. si nupt. ex rescripto: ubi plura Gothofredus. Usum tamen antiquum retinendi nuptias consobrinorum approbavit Justin. ut videre est ex §. duorum, Instit. de nupt. de cujus affirmativa lectione dubitat Concilius lib. 2. successiv. 6. 1. & Hothomanus ibi, & in tract. de nupr. cap. 5. secuti lectionem Theophili, qui non explodit negationem, Verùm lectio Florentina affirmativa retinenda est, & juxta eam constat, Justinianum restituito jure antiquo nuptias consobrinorum permisisse. Et hæc illa lex in populo Romano permittens nuptias, cujus meminit D. Gregorius in cap. quaedam lex 35. q. 2. & 3. ut notavit Rithersius de different. jur. civil. & canon. lib. 1. c. 7. argu-

argumentum etiam est; has nuptias non prohibuisse, immò permisisse Iustinianum, quòd ipsæ leges Arcadii & Honorii has nuptias prohibentes, & Theodosii Junioris non recitit in suum Codicem; legem verò Arcadii, & Honorii eas permittentem transcripsisse, ut videre est *ex l. 19. C. de nupt. & notavit Theodorus Marsil. in §. duor. Instu. de nupt.* Nec suprâ traditis obstat Gajus *lib. 1. instit. tit. 4. §. 6.* in illis verbis: *Fratres enim amittinos, vel consobrinos in matrimonium jungi nullâ ratione permittuntur.* Nam ea verba Anianum Gaji interpretem, seu ex Græco in Latinum verforem corrupisæ, respiciendo ad constitutionem Theodosii, jam notarunt Faber in *jurisprud. ut. 9. princip. 6. illat. 6. Concilii lib. 1. successivo. cap. 1. num. 8.* & Brissonius *de jure conub. pag. 66.* Jacobus Gothofredus in *dissert. ad l. celebrandis. C. de nupt.*

18.

De probationibus canonis.

Hucusque egimus de prohibitione nuptiarum ex jure civili: nunc ad factos Canones, jusque Pontificium perveniamus: Et inter consobrinos conjugium prohibitum fuisse jam à temporibus Apostolorum, constat *ex can. 18. Apost.* & ex celebri testimonio, quod extat apud Julium Africanum, seu Abdiam Babyloniam primum Episcopum *lib. 3. certam. Apostoli* quod subnectere decrevi, quia institutam tractationem non parum illustrat. *Antequam Andreas Apostolus in Macedonia pervenisset, accidit quod duo viri in Philippis fratres germani essent, nobiles, & quibus erat magna domi facultas: erantque alteri filii duo; alteri totidem filia: hi cum in civibus nulli forent, qui dignè generationi illorum jungi possent, unio federe obligaverunt se mutuo, ut unam domum facerent, & unus filii alterius filias in matrimonium acciperent; cumque jam dies nuptiarum esset constitutus, factum est verbum Domini ad eos dicens: Nolite conjugere liberos vestros donec hic veniat famulus meus Andreas: ipse enim vobis que agere debeatis, ostendet. Jam autem thalamus preparatus erat, & convivia vocati erant, omnisque apparatus nuptialis in promptu tenebatur; interea triduo elapso advenit Apostolus, qui cum audisset, que gesta essent: Nolite, ait, filii, nolite seduci, nolite decipere hos juvenes, quibus potest fractus apparere iustitiæ, sed magis penitentiam agite, quia deliquistis in Dominum, ut proximo sanguine vellere pollinere conjugia filiorum vestrorum; nec verò nos nuptias evertimus, aut vitamus, cum ab initio Deus masculam jungi præcepisset, & feminam; verum incesta potius damnamus. Immo & longius producta est hæc prohibitio; primò enim Higinus, & Fabianus Pontifices, qui Ecclesiam rexerunt usque ad annum 242. in tertio gradu matrimonium irritarunt, in quarto prohibuerunt, *cap. si qua mulier, 35. q. 1. cap. de propinquis 35. q. 3.* postea Jul. I. qui Ecclesiam rexit ex anno 346. usque ad annum 353. conjugium usque ad septimum gradum prohibuit, *cap. nullum 35. q. 2.* quam constitutionem firmarunt Greg. Magnus, & Alex. II. ut constat *ex cap. quod autem, cap. quoad sedem 35. q. 5.* ad quæ tempora referri debent textus *in c. contradiimus, 35. q. 3.* ubi usque ad sextam generationem, idest septimum gradum, extenditur, secundum computationem eorum, qui gradus enumerabant à filiis fratrum, non ab ipsis fratribus, *cap. ad sedem, §. hæc itaque, 35. q. 5.* & textus *in cap. in copulatione 35. q. 3.* & in Concilio Toletano *2. can. 5.* in quibus matrimonium prohibetur usque dum generatio recordetur, idest, ut repetentes ibi*

exponunt, usque ad septimum gradum; nam in septem gradibus, si canonicè, & usualiter numerentur, omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quas nec consanguinitas invenitur, nec nomina graduum reperiuntur, aut successio potest amplius prorogari, nec memoriter ab aliquo generatio recordari. Hæc prohibitio viguit, & duravit usque ad tempora Innoc. III. qui eam restrinxit usque ad quintum gradum *in cap. quia 6. hoc titul. cap. juravit 6. de probat.* Postea in Concil. Lateran. generali sub ipso celebrato, anno 1215. restricta est hæc prohibitio ad quartum gradum, *cap. non debet, hoc titul.* notavit Paulus Idumay in *notis ad Innoc. III. lib. 13. regestr. epist. 188.* Quæ constitutio approbata est Concil. Trident. *sess. 24. de reform. matrim. cap. 5.* notarunt Theophilus Raynaud. *tom. II. in syntax. oper. sancti Anselmi, fol. 64.* Macedo *de clav. Petri lib. 4. de matrim. cap. 10.*

Hujus prohibitionis matrimonii inter consanguineos variz rationes afferri possunt; prior naturalis, propter quandam verecundiam, quæ non finit authores cum sua sobole, aut in seipsis, aut etiam per personas sanguinis commixtione proximè coherentes misceri; cum enim matrimonium institutum sit ad generationem, prolemque suscipiendam, *cap. omne itaque 27. q. 2.* eaque inter consanguineos impediatur propter reverentiam, quam cognati sibimetipsis exhibere debent ob originem ab eodem stipite tractam, & sanguinis communionem; quia huic reverentiz maximè adversatur conjugalis actus, qui sine turpitudine quadam exerceri non potest, ut docet D. Augustinus *lib. 15. de civit. Dei, cap. 15.* idcirco tam leges sæculares, quàm ecclesiasticæ inter consanguineos matrimonium contrahi prohibuerunt: facit Cassiodorus *lib. 6. variar. cap. 8.* in formula Comitum rerum privat. ibi: *Primum tibi contra nefarias libidines, & humani generis improbos appetitus, quasi parenti publico decreta custodia est, ne quis se probrosa commixtione pollueret, dum vicino sanguini reverentiam non haberet; gravitas enim publica proximitatis sanctitatem, & conjunctionis gratiam habitâ assimatione decrevit; quia longe aliud debetur proximitati naturæ, quam corporali possumus indulgere licentia. Ex quibus verbis constat, curam (ne matrimonia inter consanguineos celebrarentur) spectasse ad Comitem privatarum rationum, quia adhuc Reges Gothorum ad exemplum Imperatorum in gradibus prohibitis dispensabant, *l. 1. tit. 3. lib. 3. legum Visigoth.* licet jure civili gradus ipsos incestuarum nuptiarum diffinere, spectasse ad Pontifices, constat *ex Tacito lib. 1. Dione lib. 48. Cicerone lib. 2. de legibus.* Alia ratio est, ne quarundam personarum convictus nimis quotidianus, atque inobservatus; stupris & adulteris occasionem daret, si amores tales nuptiis possent cohaerere: quam rationem assignat, & amplificat D. Ambrosius *epist. 66. ad Paternum,* & illustrat Grotius *lib. 2. de jure belli, cap. 4. num. 13.* Tertia ratio nascitur ex sequenti consideratione; nam si matrimonia inter propinquos, & consanguineos darentur, subverterentur diversarum necessitudinum vincula, quibus homines connecti socialis vitæ postulat necessitas:*

Nam sanguine mixto

Textitur alternis ex gentibus una propago.
Nuptiis enim necessitudines augentur, & ultro, citroque filias dando, & accipiendo, multi sibi præ-

19.

Traditur ratio decidendi.

propinqui adiunguntur, ut Plutarchus *problem.* 108. dicit, cui assentit D. Augustin. *lib. 15. de civ. Dei, capit. 16.* Habita est, inquit, ratio charitatis, ut homines, quibus esset utilis, atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis nequerentur, ne unus in una multas haberet necessitudines, sed singula spargerentur in singulos, ac sic ad socialem vitam diligentius colendam plurima plurimos obtinerent. Refertur à Gratiano in *cap. 1. 35. quest. 1.* Unde ut amicitiae vinculum propter affinitatem protendatur in cives, matrimonia non inter consanguineos, sed inter extraneos celebrari debent: quam rationem illustrant D. Chrysostr. *homil. 34. in epistol. 1. Corinth.* Philo Judæus *de leg. Moys.* Plutarchus in *problem.* c. 108. Cassiodorus *lib. 7. epist. 46. ibi: Ne & se in proximitatem redeundo polluerent, & dilationem providam in genus extraneum non haberent.* D. Thomas 2. 2. *quest. 154. art. 9.* Bellarminus *de matrim. lib. 1. cap. 29.* Sanchez ubi *suprà, disp. 53.*

20.
Dissolvi-
tur dubi-
zandi
ratio.

Nec obstat dubitandi ratio *suprà* adducta, nam licet verum sit, apud Judæos non licuisse alienigenas in uxores accipere, id prohibebatur propter periculum subversionis, & idololatriæ, ut exprimitur *cap. 34. Exodi, vers. 16. ibi: Ne uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne*

postquam ipsa fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos, id est, ne sint illis occasio idololatriæ. Et *cap. 7. Deuteron. vers. 3. ibi: Nec sociabis cum eis conjugia, filiam tuam non dabis filio ejus; nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis.* Et *lib. 3. Regum, cap. 11. vers. 2. Non ingrediemini ad eas, nec de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Non tamen ideo licebat in gradibus lege Moysei data prohibitis matrimonio copulari, ut *suprà* probavi. Nec obstat, quod de nuptiis peregrinorum ex jure Romanorum expendebamus; nam cum connubium daretur tantum inter Romanos cives, id est inter eos, qui jus togæ patriæ potestatis, factionis testamenti, & similia privilegia habebant, sed si accepto, ff. *de jure fisci, l. 1. C. de hered. instir. §. 1. de nupt. id est cum peregrinis connubium non datur; non tamen inde inferas, inter cives Romanos cum consanguineis connubium admitti; nam contrarium observatum fuisse, latè probavi, licet hæc prohibitio non ita protraheretur ad gradum quintum, sextum, seu septimum, ut sacri Canonones protraxerunt. Nec obstat augmentum deductum ex dictis Conciliis Epaun. & Parisiensis, quorum interpretationem adduxi *suprà, cap. 1.**

CAPUT VI.

(a) Idem.

Quia circa. *Et infra:* Porrò de nobili viro N. pro cujus dispensatione, indulgentia scilicet remanendi cum ea, quæ ipsum (b) quinto consanguinitatis gradu contingit, à Sede Apost. obtinenda, falsa nobis causa fuerat allegata, proles videlicet, cum tamen ante dispensationem obtentam unica filia, quam habebat, viam fuerit universæ carnis ingressa, prout tua consultatio continebat; (c) dissimulare (d) poteris ut remaneant in copula sic contracta: cum ex separatione, sicut afferis, grave videas scandalum imminere.

NOTÆ.

(a) *Idem.*] In margine, aut ulla ex collectionibus non exprimitur cui rescribat Innocentius; integram autem epistolam, & ejus inscriptionem dedi in *cap. quia circa, de bigam. ubi extat prior pars hujus textus; alia etiam extat in cap. quia circa, de privilegii.*

(b) *Quinto.*] Procedit textus hic ante Concil. Lateran. relatum in *cap. non debet, infra hoc titul.*

(c) *Dissimulare.*] Quia in casu, quo persona laborat ignorantia invincibili, & prænoscutur certò moraliter non profutura ex monitione, si contingat eam nihil excitari circa malitiam status, aut operis sui, eamque malitiam non vergere in damnum commune, fas est dissimulare, ut probant textum hunc exponentes, Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 38. n. 7.* Theophil. *tom. 16. in heterocel. spirit. sect. 3. puncto final. fol. 389.*

(d) *Poteris.*] Ex hoc textu probant Sanchez *lib. 2. disp. 38. n. 12.* Basil. *lib. 8. c. 13. n. 7.* Hurtado *disp. 26. difficult. 2. n. 8.* posse dispensare Episcopum post contractum matrimonium, quando dispensatio impetrata, ob subreptionem fuit nulla. Sed contraria sententia communis est.

COMMENTARIUM.

Cum inferior non possit dispensare in lege superioris, *cap. cum inferior, 21. distinct. c. cum De dispens. inferior, de majorit. & obed. Clement. Romani, de latrone in elect. Romanus Pontifex non potest dispensare in impedimentis, quæ jure naturali dirimunt matrimonium, veluti in impedimentis erroris, metus gravis, ligaminis, impotentia, consanguinitatis in primo gradu lineæ rectæ; quia hæc omnia dirimunt matrimonium ex jure divino naturali, in quo Pontifex, nec etiam urgente necessitate dispensare potest, *cap. sunt quidam 25. quest. 2. cap. proposuit, de concess. preb. cap. ita quorundam, de judicis, Sanchez cum aliis lib. 8. disp. 6. num. 10. de matrim. tamen aliqui apud eundem, & Leandrum disput. 24. de matrim. q. 2. sentiant, posse Pontificem in aliquo casu dispensare in præfatis impedimentis: in aliis vero impedimentis, & gradibus cognationis dirimentibus tantum jure ecclesiastico, Pontifex dispensare valet ex justis causis, *cap. statuta, cap. omnia 25. quest. 1. probant latè Diana tom. 8. tractat. 5. resol. 35. Morla in empur. tit. 1. quest. 2. Fragoso parte 2. de regimin. Christi. Reip. lib. 1. disput. 1. §. 9. Leander de matrim. disput. 23. quest. 6. Petrus Greg.***

Greg. lib. 3. part. tit. 21. cap. 12. & exemplis illustrat Roussellius lib. 1. histor. Pontific. jurisdict. cap. 5. num. 12. Ut etiam jure civili attento Princeps in incestis & injustis nuptiis dispensabat, l. si Senatori, ff. de ritu nupt. l. ult. Cod. de incestis nupt. l. unic. Cod. Theodos. si nuptia ex rescripto: notavit Cujac. ad eundem tit. Cod. quod & apud Gothos observatum fuisse constat ex Cassiodoro lib. 7. formul. penult. Olim tamen plures Theologi, & Juristæ non contemnendæ autoritatis censuerunt, in gradibus prohibitis lege veteri expressis in capite 18. & 20. Levit. Pontificem dispensare non posse, ut docuerunt plures congesti à Thom. Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 52. numero 5. Sylvester verbo Papa, numero 27. Ægidius Bellamer. consil. 28. Hieronym. Gratus volum. 2. consil. 1. Gozadinus consil. 15. Parisius consil. 98. per totum. Mantua consil. 121. Thom. Waldensis 2. tom. cap. 134. & novissimè ex Jurisperitis Arnoldus Vinius lib. 2. sect. cap. 13. Gentil. lib. 5. de nupt. cap. 5. Theodor. in armament. cap. 6. num. 7. Cujac. in cap. final. de divor. tit. Hodie tamen id asserere contra praxim Ecclesiæ, & dispositionem Tridentinæ sess. 24. de matrim. can. 3. & communem Doctorum sententiam, apertus error esset, ut animadvertunt Sanchez dicta disput. 52. num. 6. Barbosa in cap. litteras 13. num. 21. de resit. spol. quia præcepta legis veteris, quæ fuerunt judicialia, cessarunt per mortem Christi, ut probavi in cap. traslado, de constir. naturalia verò, seu moralia, duplicis ordinis erant; priora, quæ intrinsicè ex se malum prohibebant, & hæc etiam non suscitata in lege gratiæ, aut sacris canonibus obligant; quia similes res omni tempore improbæ sunt, nec aliqua circumstantiâ possunt honestari, ut mentiri, matrimonium contrahere in primo gradu lineæ rectæ. Præcepta verò naturalia secundi generis, seu ordinis, quæ aliquâ circumstantiâ occurrente cessare possunt, quia deest malitia, ut occidere, quia homicidium ob defensionem, aut publica autoritate factum, peccatum non est; & contrahere matrimonium in gradibus prohibitis, non obligant ut præcepta legis veteris, nisi fuerint roborata in lege gratiæ, aut per sacros canones. Unde cum matrimonia in gradibus proximo commentario relatis non sint prohibita lege gratiæ, sed tantum per Ecclesiam, poterit Summus Pontifex, qui supra jus positivum est, in omnibus his gradibus dispensare, ut docent Cajetanus in dict. cap. 18. Levit. Bellarm. tom. 2. de sacram. lib. 1. de matrim. cap. 27. Sanchez dict. disput. 52. num. 7. Fragoletto dict. §. 10. numero 191. P. Greg. in cap. juvenis, num. 49. de despons. & dicemus latè in cap. final. de divor. Nec obstat textus in cap. litteras, de resit. spol. cujus interpretationem dedi superiori commentario. Unde credo hodie servari posse conditionem à testatore appositam in majoratu, vel legato, ut successor ducat in uxorem consanguineam in secundo gradu, sive explicet præviâ Pontificis dispensatione, sive id taceat; quia hoc semper intelligitur, & testatoris verba intelligenda sunt secundum jus commune. Videndi sunt Molina lib. 2. de primog. capit. 13. à numero 4. Sanchez lib. 5. de matrim. disput. 5. à num. 25. Etiam Episcopus potest dispensare in his impedimentis du-

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. IV.

plici in casu. Primò quando matrimonium contractum est bona fide, saltem unius, in facie Ecclesiæ, & impedimentum est occultum, nec sine scandalo potest fieri separatio, nec facile Pontifex adiri valet ob nimiam conjugum paupertatem, vel loci distantiam. Sanchez lib. 2. disp. 8. cap. 13. Perez eod. tract. disput. 44. sect. 2. sed etiam potest Episcopus dispensare aut matrimonium contractum, quando urget gravis necessitas, ut si quis morti proximus vellet ducere scæminam, quam violavit, aut ex qua filios susceperat, & vult eos legitimare per subsequens matrimonium; vel si jam sint parata omnia ad nuptias, & scæmina fatetur manè impedimentum, ex quo timeri valet periculum vitæ, aut honoris: ita Sanchez d. disput. 40. numer. 7. Basil. lib. 8. cap. 13. Martinon disput. 77. sect. 2. num. 8. Martinus à S. Joseph lib. 2. tract. 2. de matrim. num. 7. Leander tract. 9. disp. 24. q. 9. Amicus eod. tract. disp. 9. num. 44.

Dixi tamen justam causam in dispensatione requiri, quia generaliter in omni dispensatione causa desideratur, cap. non est, de voto, cap. quod, cap. necessaria 1. quest. 7. l. relegati, ff. de penis. Si autem sine causa concedatur à superiore, valet, licet peccet qui eam concessit, argumento capitis Venerabilis, §. sane, de sentent. excomm. lib. 6. Basil. lib. 8. de matrim. cap. 14. & generaliter in omnibus dispensationibus probat P. Marcha lib. 3. concordia, cap. 15. in specie Sanchez lib. 8. disput. 17. numero 24. Granados contro. 7. tract. 3. part. 2. disput. 7. sect. 3. Perez disput. 45. sect. 2. Diana part. 8. tract. 3. resol. 4. Causæ autem ex quibus in Romana Curia peti solet dispensatio, sequentes sunt, magnæ litis compositio, gravis scandali evitatio, inæqualitas matrimonii ob loci angustiam, defectus dotis competentis, ut si uxor invenire non potest sponsum sibi dignum, nisi ex ipsa consanguinitate, conservatio illustri familiae, servitia in obsequium Ecclesiæ facta, copula habita cum consanguinea bonâ fide, idest ignorando esse talem; magna pecuniæ quantitas erogata ad expeditionem contra Infideles, ut referunt Trullench. de matrim. cap. 10. dub. 2. Sanchez lib. 8. disput. 19. Perez disput. 45. sect. 5. num. 9. Barbosa in d. cap. 5. Concilii. Ex his causis quædam sunt finales, quædam impulsivæ; finalis est, quæ si non existeret, Pontifex minimè dispensaret: impulsiva est, quæ tantum impellit, ut facilius concedatur; unde taciturnitas causæ finalis reddit dispensatione subreptitiam nullam; taciturnitas verò, aut expressio falsæ causæ impulsivæ, non irritat dispensationem, cap. postulasti, c. super litteris, de rescriptis. Barbosa voto 17. Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 21. Covar. lib. 1. variar. cap. 20. num. 5. Diana p. 8. tract. 3. resol. 61. Unde cum in præsentis specie quæreretur, an dispensatio in gradu prohibito impetrata nulla esset, ex eo quod narratum esset Pontifici prolem inter ipsos contrahentes susceptam esse, cum tempore dispensationis jam filia communis decessisset, & ita falsa videbatur narrativa, & per consequens dispensatio subreptitia, & nullius valoris, adhuc Innoc. III. decrevit sustinendum esse tale matrimonium; quod Pontificis responsum exposui in cap. super 20. de rescriptis: si autem plures causæ fuerint in supplicatione, quarum quædam veræ sunt, quædam verò falsæ, siquidem omnes con-

De causis dispensationis.

ficiunt unam causam finalem, non erit valida dispensatio, quia deficit causa finalis; si autem inter eas aliqua sit vera, & totalis causa finalis, valet dispensatio, quia ita se habent, atque si disjunctivæ forent; quo casu sufficit unam esse veram, *cap. inier 4. de rescriptis*. unde si in supplicatione dicatur intercessisse copulam, & infamiam feminae consanguineæ, valebit dispensatio, quamvis copula falso allegetur, quia jactura famæ est causa adæquata ad dispensandum. Ita docet Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 21. num. 45. Amicus tom. 5. disput. 6. sect. 8. num. 150. Diana p. 8. tract. 3. resol. 65.* Alia autem dubia, quæ circa hujusmodi litteras dispensationis in gradibus prohibitis evenire solent, resolvunt Diana p. 8. tract. 4. de disp. per totum, P. Mendo in *Bullam disp. 37. cap. 9. Leander de matrim. dict. disput. 23.*

4.
De pluri-
bus causis
expressis.

In hac dispensatione ad matrimonium contrahendum necessariò exprimi debent omnia impedimenta, quibus contrahentes impediuntur illud contrahere, ut si quis impediatur affinitate, cognatione, & voto, quia quodlibet ex his impedimentis per se eget dispensatione; non tamen desideratur, ut simul exprimantur in una impetratione, sed sufficit, ut cum dispensationem voti quis petit, ejus faciat mentionem, & sic de aliis. Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 23. Villalobos tom. 1. summa, tract. 14. difficult. 27. num. 1. Leander de matrim. quæst. 35. disput. 24. Salas de legibus disput. 20. sect. 15. numero 122. Castro Palao tom. 1. tract. 3. disput. 6. puncto 16. §. 4. num. 13. Diana part. 10. tract. 11. resol. 44.* immò et si contingat contrahentes esse conjunctos diversis gradibus consanguinitatis, omnes debent exprimi, quia licet in specie unicum sit impedimentum, tamen est realiter distinctum. Trullench *de matr. cap. 5. dub. 4.* debet etiam exprimi gradus, & cujus linea sit; & si sit inæqualis, veluti si alter distet ab stirpe in secundo, alter in tertio; licet attentò jure communi sufficeret remotiorem explicare, *cap. final. hoc tit. ex travagant. Nuper eod. tit. inter communes*, hodie tamen ex motu proprio Pii V. edito anno 1569. incipit, *Sanctissimus*, si unus distet ab stirpe in primo gradu, & alter in tertio, debet exprimi propinquior: si autem sit in secundo, non est necessarium quamvis postea peti debeant litteræ declaratoriæ, de quibus Trullench *d. dub. 4. Barb. voto 3.* Sed si impedimentum sit cognationis spiritualis, debet explicari, an inter contrahentes detur filiatio. Basilius *de matrim. d. lib. 8. cap. 17. §. 5.* quem sequitur Leander *d. g. 42.* Et si impedimentum sit publicæ honestatis, oportet exprimere, an proveniat ex matrimonio rato, an ex sponsalibus. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 24. n. 16.* Et si concurrant impedimenta affinitatis, & publicæ honestatis & explicetur affinitas ex copula licita proveniens intra tertium, aut quartum gradum, non est necesse explicare impedimentum publicæ honestatis. Leander *d. g. 44.* Et si petens dispensationem, erret in gradu, distinguendum est inter casum in quo dixit in tertio distare, cum deberet dicere in secundo, & tunc

non valet dispensatio; si autem posuit secundum, cum deberet dicere tertium, dispensatio sustinetur, quia in propinquiori incit remotior, argumento legis *dum 37. §. si plures, ff. de receptis*. Aliqua etiam sunt, quæ etiam omittantur, aut in eis erretur, non vitiant dispensationem, ut si dispensatio petita jam fuit ab ipso Pontifice, vel ab alio; non enim necessarium est, in secunda petitione primæ denegationis mentionem facere. Basilius *d. cap. 17. §. 1.* Deinde impunè omitti potest, quod affinitas multiplicata est ex copula successiva. Leander *d. g. 38.* Etiam vitium in nomine impetrantis dispensationem non vitiat, veluti si pro Joanne Petrus ponatur, pro Maria Antonia, quia cum de corpore constat, error in nomine non vitiat actum, §. si quis in nomine, *Instr. de legat.* Idem dicendum est si erretur in dicecesi ejus, cum quo dispensatur, ut si dicatur esse dicecesi Abulensis, cum sit Segobientis, Moneta *de commut. cap. 12. conclus. 9.* Leander *supra, g. 47.* etiam si non observetur stylus Curie, dum substantialia dispensationis non omittantur. Villalobos *tom. 1. summa, tract. 2. difficult. 43.* Non tamen levis difficultas datur circa copulam habitam inter consanguineos, an videlicet si reticeatur in petitione dispensatio ea vitietur? Affirmant quindecim DD. congesti à Leandro *supra, g. 31. Barb. voto 83. num. 10.* Sed rectius negant alii ab eo relati, quos sequuntur Trullench. *De matrim. cap. 10. dub. 5. Diana tom. 10. tract. 11. resol. 44. Hurtado disput. 26. difficult. 5. M. Perez de matrim. disp. 46. sect. 6.* nam copula per se non producit impedimentum, quod eget dispensatione, immò facilitiorem reddit Pontificem ad dispensandum: ergo necessariò non debet exprimi: immò et si contrahentes copulam habeant, ut facilius dispensationem impetrare possint absque vitio subreptionis, possunt eam tacere. Diana *dict. resol. 44.* Deinde etiam si Pontifex jubeat Episcopo, vel ejus Vicario, ut dispenset cum certis personis, dummodo copula non intercesserit, si dispensatio sit pro foro externo, & copula sit occulta, valet dispensatio: si verò pro foro conscientie Pontifex commiserit dispensationem sub prædicta clausula, & copula præcesserit, dispensatio non sustinetur, quia facultas dispensandi delegata est sub illa conditione, videlicet si copula non intercesserit: docet Trullench, Leander & Basilius *ubi supra*: narratio autem causæ expressa in ipsa petitione debet esse vera tempore, quo Papa dispensat: licet non sit tempore, quo dispensatio postulatur; nam clausula in litteris Apostolicis usitata (Si preces veritate nitantur) tunc verificatur, cum dispensatio conceditur, *cap. si eotempore, de rescriptis lib. 6.* Sed si dispensatio committatur Episcopo, debet verificari causa tempore quo eam Episcopus exequitur, ut resolvit Trullench *d. cap. 5. dub. 6.* Prosequuntur alia de his dispensationibus Barb. *de potestate Episcopi, alleg. 36. & 37.* Solorzano *de jure Indiarum lib. 1. tom. 2. cap. 13.* Diana p. 8. tract. 4. resol. 25. cum sequentibus, Trullench in *Bullam lib. 2. §. 4. dubio...* P. Mendo *eod. tract. disput. 37. cap. 9.* Leander *de matrim. disp. 34. per totam.*

CAPUT VII.

(a) Idem.

Tua nos duxit fraternitas consulendos, utrum illorum sufficiat testimonium ad matrimonium dirimendum, qui consanguinitatis gradus ab avunculo & nepote, videlicet fratris filio, vel sororis, cum de superioribus nihil noverint, vel audierint, inciperint computare. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod cum conjugium multum favoris obtineat, testes hi, qui ad divortium celebrandum inducti sunt, consanguinitatis computant gradus, à stirpe debent incipere, idest à parentibus, vel germanis: & sic per ordinem distinguere gradus, nominibus propriis, vel æquipollentibus iudiciis designando personas: præsertim cum sæpius testimonium perhibeant de (b) auditu, quod quia minus est validum, non est in articulo hujusmodi nimium laxanda facultas: eum quæ ratione computationem inciperent à secunda, eadem ratione ab ulterioribus inchoarent.

NOTA.

1. (a) Idem.] Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 2. integram tamen litteram cum vera inscriptione retuli in cap. sua 26. de spons.

(b) De auditu.] Quatenus testes de auditu probent, exposui in cap. præterea, de testibus.

COMMENTARIUM.

2. **C**onsanguinitatem cognosci, & computari per lineas & gradus, supra probavi in cap. 5. & gradus computandos esse à communi stirpe, ibi exposui: in præsentem tantum proponitur, testes deponentes de consanguinitate ad divortium faciendum, vel impediendum matrimonium, debere clarè, & distinctè deponere, recensendo gradum, in quo reperitur sponsi, computationem faciendo à communi stirpe, juxta tradita in dict. cap. 5. ita ut singulos gradus propriis nominibus cognatorum, vel æquipollentibus

referant: quod etiam docetur in cap. series, cap. licet 47. de testibus, cap. 1. hoc tit. in 4. collect. cap. 2. de sobole suscepta, in 1. collect. Exemplis illustrat Cujac. in præsentem; nam quando requiritur specialis consanguinitatis probatio, necesse est, quod quilibet gradus sigillatim ostendatur, ut probant Mascardus de probat. conclus. 410. à num. 8. Pacianus eod. tract. cap. 12. à num. 44. Garcia de benef. 7. p. cap. 15. numero 28. Cevallos 3. tom. quest. 749. num. 48. Et probatio obscura non prodest, ubi specifica desideratur, l. 4. tit. 2. partit. 2. quia debet necessariò concludere, ex l. non hoc, ff. unde cognat. Unde Valenzuela consil. 92. num. 216. Elcobar de puritate 2. part. art. 2. quest. 4. ex numero 98. unde cum in præsentem casu specifica graduum probatio desideretur, ut cognoscatur, an contrahentes sint intra gradus prohibitos, vel non, debet specifica probatio fieri per testes, quæ enim difficilior erat, cum prohibitio extenderetur ad septimum gradum, hodie verò facilis est, cum tantum usque ad quartum protendatur.

CAPUT VIII.

Idem (a) in Concil. Later.

Non debet (b) reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque variantur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas idem exposcunt: quoniam ipse Deus ex iis, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minimè contrahendo, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculū pariant animarum: cum cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas sacri approbatione Concilii revocantes, præsentem constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cætero liberè (c) copulentur: prohibitio quoque copulæ conjugalis quarum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. Quaternarius verò numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apostolus, quod vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier; nec mulier habet potestatem sui corporis, sed vir: quia quatuor sunt (d) humores in corpore, quod constat ex quatuor elementis. Cum ergo jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta, eam ita volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis, vel à nobis, ut si quis contra prohibi-

tionem hujusmodi præsumperit copulari, nullâ longinquitate defendatur annorum, cum diuturnitas temporis non minuatur peccatum, sed augeat: tantoque sint graviora crimina, quanto diuturniora infelices animas detinent alligatas.

NOTÆ.

1. (a) **[Ateran.]** Generali videlicet, celebrato sub Innoc. III. sub cap. 50. & in cap. 3. hoc titul. in 4. collect. reperitur textus hic. In eo autem contrahitur, restringiturque prohibitio contrahendi matrimonium inter consanguineos, usque ad quartum gradum tantum, cum olim prohibitio hæc portraheretur usque ad septimum, ut probavi in cap. 5. hoc titul. Et si dicas, antiquos Ecclesiæ PP. in hac nuptiarum prohibitione gradus cognationis numerasse habitâ ratione computationis civilis, non canonicæ; ideoque valde levem fuisse præsentem abrogationem, vel nulla ratione necessariam, ut existimarunt Polyd. Vergil. de inventione rer. lib. 5. cap. 4. Cujac. in præfati. Respondeo cum Covar. in 4. 2. p. 5. 6. cap. 6. n. II. verius esse, ævo Fabiani, Julii, & aliorum Pontificum in nuptiis contrahendis computationem canonicam fieri supra relatum in d. cap. 5. & quæ hodie observatur: unde in præfati constitutione abrogatam fuisse hanc prohibitionem in tribus gradibus, aperte probatur in cap. 3. in princip. de clandest. despons. cap. licet 47. de testibus: & ita nec superflua, nec prius inutilis præfata constitutio judicari debet. Circa affinitatis etiam genera, & ejus gradus, in præfati textu restricta est prohibitio, abrogatumque jus antiquum, ut probavi supra in cap. 1. hoc titul.

2. (b) **[Reprehensibile.]** Immo laudabile debet judicari, cap. sciendum 29. distinct. I. unic. §. ut lex, C. de caduc. tol. quia ut ait Justinianus in authent. de non alien. cap. 2. in princip. Quid enim stabile, & ita immutabile, ut nullam patiat mutationem, cum omnis nosse status sub perpetuo motu consistat. Facit Claudianus ibi:

Priscamque sumunt
Canitiem leges, emendanturque vetusta,
Accedantque nova.

Unde pro varietate temporum statuta mutantur humana, ut pluribus exemplis docemur in cap. recurrat 32. q. 4. cap. 1. & per tot. dist. 31. cap. fraternitatis, cap. vidua, 34. dist. Clemem. 1. de judiciis. Probant P. Gregor. lib. 47. synagm. cap. 32. & lib. 10. de Rep. cap. 5. Connanus lib. 1. comment. cap. 2. num. 5. Vultejus in princip. Instit. de justit. num. 7. Olvaldus lib. 1. comment. cap. 12. litt. B. Gregorius Lopez in l. 1. tit. 1. part. 1. Corralius in l. 1. de justit. & jur. num. 7. Castillo lib. 2. polit. cap. 10. num. 33. Facit Cassiodorus lib. 1. var. epist. 25. Solorzanus tomo 1. de jure Indiar. cap. 16. num. 93. alias enim leges perpetuæ esse debent, & non facile mutandæ, quia ut ajebat Natalis Comes lib. 27. historia, ibi: Cum lex sit unicum fundamentum Respublicarum, turpe est, & puerile in Regno delirare, ebriosumque more modo huc, modo illic fluctuare, aut sæpius tanquam ab inferis mortuam legem per præconem revocare fre-

quentibus promulgationibus: sed convenit legem ab initio ante promulgationem diligenter consideratam, mox fieri civibus contubernalem, non minus in animis, & consuetudine civium, quam in libris publicis stabilitam. Est enim clarissimum male instituta civitatis indicium, si leges sæpe repetantur: quod certe non fieret, si à sapientibus latae essent priores, ac semel lata, juberentur, ut convenerit, servari. Illustrat Solorzanus embli. 66.

(c) **[Copulentur.]** Ut exposui in cap. 1. hoc titul.

(d) **[Sunt humores.]** Quibus verbis non assignat Innoc. III. rationem, quare Ecclesia prohibuit matrimonium inter consanguineos; aut præcipuam, quare Ecclesia restrinxit hoc impedimentum ad quartum gradum, ut falso Beza, & Kemnitius expendebant; nam præfens constitutio eâ ratione nititur, quia experientia docet, non posse hodie prohibitionem usque ad septimum gradum sine magno dispendio conservari, cum non facile homines recordentur tot graduum consanguinitatis, & affinitatis; & ita sæpissime in gradibus prohibitis ex ignorantia matrimonium contraherent: in quarto autem gradu præfixa est prohibitio hæc, quia plerumque homines vident quartam generationem, unde hæc ratio de quatuor humoribus, non ut præcipua, sed ut quædam congruentia adfertur; nec ideo inepta est hæc ratio, immo potius physica, ut S. Thomas ostendit in 4. dist. 40. q. 1. art. 4. quia enim homo ex quatuor elementis constat, colligitur admodum probabiliter, in quarto gradu penitus deficere vim illam sanguinis, quæ à primo stipte trahitur. In permixtione enim sanguinis à patre accepti cum alio extraneo, quæ fit in generatione, id quod est subtilissimum, nimirum vis ignea, confunditur, & perit, secundo visa ærea, tertio aquea, quarto terrea: quare in quarta generatione totus ille sanguis perire creditur, ut docet Bellarmin. tom. 2. lib. 1. de matrim. cap. 29. Nec novum est ut rationes, quas præbet Consul & Legislatores, penitus alienæ videantur, & minus adæquatæ, ut in l. eo quod 10. C. si certum petatur, l. hered. 65. l. pecunie 178. d. v. f. l. ult. de officio procur. Cesar. l. 1. §. ideoque de rerum permut. leg. si Titius 48. in princip. de sidejuss. si extraneo 46. de usufructu, leg. uxorem 41. §. codicillis, de legat. 3. l. is cui 18. ff. qui testam. leg. si servus 27. §. 1. ad leg. Aquil. l. quod 10. ff. de jure codicil. l. si idem 7. Cod. eod. titul. quas notarunt Fornerius lib. 3. rer. quotid. cap. 23. Cujac. 5. ad Afric. in leg. qui usufructum 36. §. 1. de usufructu & lib. 17. obser. cap. 15. Amaya lib. 3. obser. cap. 1. §. 4. num. 42. Valent. tom. 1. illustr. tract. 4. cap. 3. num. 5. Immo & Scriptores sacre Paginæ nonnumquam rationes tantum probabiles, non verò efficaces, adducere probat Basil. Legion. q. 3. exposit. per totam.

CAP.

CAPUT IX.

(a) Gregorius IX.

Vir, qui à stipite quarto gradu; & mulier, quæ ex alio latere distat quintò, secundùm regulam approbatam, quâ dicitur: Quoto gradu remotior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem, licitè possunt matrimonialiter copulari.

NOTÆ.

(a) *Gregorius. IX.*] Qui præsentem constitutionem fecit, ut exponeret decisionem textus in cap. quia 4. hoc titul. ubi Commentarium dedi.

TITULUS XV.

De frigidis, & maleficiatis, & impotentia coëundi.

CAPUT I.

Ex (a) Burchardo lib. 18.

ACCEPISTI mulierem, & per aliquod tempus habuisti, per mensem, aut per tres, aut per annum: & nunc primùm dixisti te esse frigidæ naturæ, ita ut non potuisses coire cum illa, nec cum aliqua aliâ; & si illa, quæ uxor tua esse debuit, eadem affirmat quæ tu dicis, si probari potest (b) per verum iudicium ita esse, ut dicitis, separari potestis, eâ tamen ratione, ut si tu post aliam acceperis, reus perjurii dijudicaris, & iterum post peractam pœnitentiam priora conubia reparare debebis. Illa autem, si prior post annum, aut dimidium ad Episcopum, aut ad ejus (b) missum proclamaverit, & dicat, quod non cognovisses eam, & negat aliquam commixtionem inter vos esse; tu autem affirmas, quod uxor tua sit, tibi credendum est, eo quod vir caput est mulieris: quia si proclamare voluerit, cur tam diu tacuit? Citò enim & in parvo tempore scire mulier poterit, si secum coire potuisses. Si autem statim in ipsa novitate, post mensem, aut postremùm si post duos ad Episcopum, aut ad ejus missum proclamaverit, dicens, Volo esse mater, volo filios procreare, & ideo maritum accepi; sed vir, quem accepi, frigidæ naturæ est, & non potest ea facere, propter quæ illum accepi, si probari potest per rectum iudicium, separari potestis, & illa si vult, (d) nubat in Domino.

NOTÆ.

1. (a) *Burchardo.*] Ita etiam legitur in prima collectione. *sub hoc titul. c. 1.* reperitur textus hic in Decreto Burchardi lib. 19. *sub tit. de dissidio conjugis.* Totum illum librum Burchardus ex diversis pœnitentialibus, Romano videlicet, Bedæ, & Rabani, & ex diversis sententiis Sanctorum composuit pro medela peccantium, de quo Decreto, & ejus antiquitate egi in apparatu ad hæc Commentaria.

2. (b) *Verum iudicium.*] Quod justum dicitur in cap. quod autem 33. q. 1. c. 5. hoc tit. quia verum pro justo, & contra justum pro vero, promiscuè à Latinis Authoribus usurpari notavit Budeus ad D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. IV.

l. 3. ff. pro facio; & illustravit Radulfus Forner. lib. 1. rer. quod. cap. 19. unde in l. ult. ff. de iure delib. verus filius pro justo & legitimo ponitur, ut ibi notavit Accurs. & in l. 2. C. de rescind. vendit. verum pretium, & justum, pro eodem accipi notavit Guillelm. Forner. lib. 2. select. c. 19. & mariti dolor ob uxoris adulterium, qui justus dicitur in l. si adulterium 38. §. Imperator, ff. ad leg. Jul. de adult. verus appellatur in l. quamvis 30. C. eod.

(c) *Missum.*] Missus quis sit, exposui in cap. 1. de communis. eccles.

(d) *Nubat in Domino.*] Verba sunt Pauli Apostoli in epistola 1. ad Corinth. quæ refert Gratianus in princip. 33. q. 2. & exponemus in cap. 1. de secund. nupr.